





*6*  
DISSE<sup>1761 36</sup>RATI<sup>11</sup>O  
DE  
IVRE ACCRESCENDI  
INTER COHEREDES, INTERDVM  
IVRE NON DECRESCENDI,  
INTERDVM SECVS.

*2/14*  
QVAM  
SVB MODERAMINE  
VIRI EXCELLENTISSIMI CONSULTISSIMI  
**ERNESTI CHRIST. WESTPHAL**  
IVRIVM PARITER AC PHILOSOPHIAE DOCTORIS  
NEC NON IVRIS ANTECESSORIS LONGE CELEBERRIMI,  
DIE XVIII. MARTII MDCCCLXI.  
H. L. Q. C.  
EXACTIORI DISQUISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR  
**IOANNES GEORG. MADEWEISS**  
COLBERGENSIS.

VIII.

HALAE AD SALAM  
LITTERIS IO. CHRIST. HENDELIL







DISSERTATIO

DE

IVRE ACCRESCENDI INTER COHERE-  
DES INTERDVM IVRE NON DECRESCENDI,  
INTERDVM SECVS.



§. I.

INSTITVTI RATIO.

Non vna est quae me mouit ratio de accre-  
tionis iure differendi; allexit enim tam ar-  
gumenti difficultas, atque praefantia;  
VINNIO enim teste <sup>a)</sup>, nulla in toto iure  
nostro materia creditur esse vel subtilior,  
vel perplexior <sup>b)</sup>, ipsa autem indagatio  
rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum habet  
oblectationem: quam, quod animaduerti, tot, tamque  
diuer-

A 2

<sup>a)</sup> VINNIUS ad Instit. tit. de Legat.

<sup>b)</sup> CICERO Q. Academ. cap. XLI.

\* \* \* \* \*

diuersas de iure accrescendi Doctorum esse opiniones, per leges, contra se inuicem dicere vias, natae quasi atque suffultas, vt inde exire, hic opus, hic labor. Saepius enim et si tres vel quatuor adieris, qui hanc enodandam suscep- runt materiam, repetes tamen illud **DEMIPHONTIS** apud **Terentium**:

- - - fecistis probe  
Incertior sum multo quam dudum.

## §. II.

### DICENDORVM ORDO.

Non autem totum iuris accrescendi quaqua versum patet ambitum proponere constitui, sed vnam tantum eius partem, quae ius accrescendi inter coheredes sifit, explicandi animus est; praemissa simul strictim iuris historia, explicatisque eius vicissitudinibus, quas subinde subiit. Nihil enim profecto in vniuersa jurisprudentia maiorem utilitatem afferre potest, quam legum iuriumque caussas & origines perspectas habere, vt inde **Iacobus. GOTHO-FREDVS** a), graui adductus ratione optet: vt iurum politicae & historicae rationes ex Imperii Romani statu diligenter eruantur, vnde iudicium facile fieri possit, an & quantum ea in vsus hodie deriuari queant. Addam quoque illam, quae ius accrescendi a substitutione reciproca distinguunt, differentiam, agmen claudente vsu huius doctrinae hodierno. Totum enim ius accrescendi, si omnes, quae in illo obueniunt quaeftiones recte enodantur, eius indolis est, vt a Dissertatione Academica adhorreat, integrosque Commentarios sibi destinatos poscat. Illud prae-terum iuris accrescendi Caput, quod Legatorios tangit, magno

a) Praefat. *Dissert. ad L. Quirquis C. ad L. Iul. Maiestat.*

magnō cum studio non inuita Minerua, iam a multis  
tractatum, & nuper adhuc a Viro Illustri & Excellent.  
Dn. HEISLERO, Praeceptore atque Fautore miki numquam  
non satis colendo, tam plene absolutum est, vt vteriorem  
eius explicationem suscipiens, non nisi Eius dicta repetere  
viderer.

### §. III.

AVCTORVM, QVI DE IURE ACCRESCENDI SCRIPSERVNT  
RECENSIO.

Scilicet ad tres forte Classes reduci possunt, qui ante  
nos de iure accrescendi tradiderunt. Alii enim totum huius iu-  
ris campum emensuri, tam de accretione heredum, quam  
Legatariorum egere, inter quos *Thomae PAPILLONII* in  
*Thesauro Iuris Otton.* Tom. IV. breuis, sed elegans de  
iure accrescendi tractatio. *Franc. DVAREN* paulo am-  
plior de eodem argumento lucubratio in EIVSD. Operib.  
Fr. 1607. editis pag. 1077. prostans, arguta Praef. Peril-  
lusfr. Io. Casp. HEIMBURGIO de iure accrescendi, lenae  
1754. habita, nec non Io. Aug. BACHII de eadem materia  
Lipsiae eod. anno scripta, denique *Amadei ECKOLDI* eius-  
dem argumenti *Dissertatio*; GOVEANVS, qui alias ad me-  
liores etiam referendus, defuit. Alii de Legatariorum ac-  
crescendi iure separato studio praecipere, quorundam plurimi,  
ad nos tamen parum pertinentes. Alii denique de eo ac-  
crescendi iure, quod inter heredes obtinet disputarunt,  
quorum admodum pauci; referendus eo praecipue *Frider.*  
*Christ. SCHANZ.* in *Diff. de iure accrescendi ab intestato*  
& ex testamento Marp. 1743. Est tamen quod in his pa-  
sim suppleri posse. Res controversiarum plenissima.  
Multi casus per paucis tacti. Distinguendum ius accres-  
cendi inter heredes generatim, eiusque vera indoles, dein-



de de eo, quod ab intestato, postea, quod ex testamento inter heredes directe institutos obtinet, porro eo, quod in Legitima, hinc quod in substitutione pupillari, tum, quod in fideicommissis vniuersalibus, inde quod in querela inoficioſi, denique quod in bonorum possessionibus & heredi- bus pactiūs obtinet.

### C A P V T I.

## GENERALIA DE IVRE ACCRESCENDI INTER COHEREDES.

### §. IV.

#### D E F I N I T I O I V R I S A C C R E S C E N D I .

*Ius accrescendi* a) generatim est *ius eius*, cui in eadem re simul cum altero ius hereditarium competit, illo deficiente, partem ipsius, qua concurrit sibi, vindicandi. Ratio ob quam ius accrescendi exercetur dicitur *coniunctio* b). Ergo ius accrescendi semper coniunctioni innititur.

Con-

a) *CVIACIVS* quidem, qui multis humanioribus ICtis definiendi artifex dicitur, *Parat.* *Dig.* de *Vsusr. accrescendo*, definit, per *ius retinendae vel nanciscendae partis eius*, qui non concurrit, vel concurrere desit, quae definitio cum nostra fere eadem est. *HVB*ER in *Praelect. ad Institut. de Legatis* haec *CVIACII* verba: *qui non concurrit, vel concurrere desit, ad eam differentiam, quae est inter proprietatem & usumfructum*

eiudem rei, duobus coniunctim reliquit, spectare docet, quod probabile est.

b) Debetur Interpretibus solis culpa, cur tam late definienda sit *coniunctio*, vid. *ECKOLD.* l. c. f. 5. Huic *coniunctio* est, duorum plurimum in eandem rem eodem successionis genere convocatio conf. *SCHANZ.* l. c. f. 46. Nil hoc aliud, si proprius accedas, quam nostra definitio. Plurimis quoque

Coniunctio autem est vel haec, quia non consentaneum est, defunctum pro parte repraesentari, pro parte secus c), vel quia solidum alteri ex intentione directa defuncti competens, per alterum nunc deficientem, fuisse diminutum,

*prior*

quoque reliquis idem vocis vites in deliciis. Quare cum ad lumen argumento adfundendum non impeta sit ista dictio, secuti sumus Pragmaticos. Ceterum non ignoro, quod legibus ignota sit ista Latinitas. Ita enim CELSVS l. 80. de Legat. III. CONIVNCCTIM heredes instituit, aut CONIVNCCTIM legari, hoc est: totam hereditatem aut tota legata singularis data esse, partes autem concursu fieri. Non obstat l. 142. ff. de V. S. Priori in lege, quid coniunctio aliud, nisi id quod nobis coniunctio hominis dictam fuit? Ringitur inde DVARENVS loc. cit. Lib. I. cap. 13. & coniunctionem aliquam legalem somniantes, explodit. Faciat id nobis lumbentibus, conf. quoque Perillusfr. HEIMBVRG l. c. ff. 35.

c) Est hoc Pomum Eridos, quae sit vera & sufficiens caussa accretio- nis inter heredes cuiuscunque generis vniuersi. Plurimi hanc ad- ferunt, quia constitutum sit, ne quis pro parte testatus, pro parte intestatus decedat, quae regula lu- risprudentiae Romanae aeterna lex est. Verum bene monent alii, caussam hanc nimis esse angustam,

quippe quae ad heredes testamen- tarios quidem, non vero ad legiti- timos, Praetorios, &c. pertineret, vnde hi aliam suppeditant, no- stram scilicet, ceu praeter DVARENVM l. c. cap. 2. ALCIA- TVS in Opp. Tom. IV. Lib. IV. Paradox. cap. 8. PAPILLO- NIVS ap. OTTON. l. c. pag. 767. Ant. FABER in Error. pragma- tic. Dec. 49. errore 1. Sane he- reditas nunquam pro diuisio possi- deri potest, l. 8. in fin. de Rei Vind. & VNIVS personae vice fungitur l. 22. ff. de Viscap. & LL. XII. Tabb. strixim, familiam, inquinat, habeto, quo ultimo ar- gumento iam ante me vsum esse Euerard. OTONEM Comm. ad Inst. tit. de Legat. ff. 8. inuenio. Addit, si recte memini, PAPIL- LONIVS: heres non solum lucri caussa, sed & onerum aerisque alieni ergo adest, vnde, si vult commodum hereditatis, omnia re- cipiat, necesse est, vt ne onera quevis subire tergiuersari possit. Vnde est illa IVSTINIANI ratio, l. vii. ff. 10. C. de Caduc. toll. cum sit absurdum, eiusdem hereditatis partem quidem agno- scere, partem vero respuerre.

prior coniunctio dicitur, *legis*, posterior, *hominis*, seu *coniunctio propria*. Vnde duplex ius accrescendi. Est enim hoc vel eiusmodi, quod innititur coniunctioni legali, quod dici potest ius accrescendi *necessarium d*). Vel quod per coniunctionem propriam efficitur, quod dici potest ius accrescendi *voluntarium e*). In Legatariis nonnisi posterius

*d*) Nomen hoc praecipue videtur ad rem significandam aptum, cum hoc idem ius accrescendi plane declinari nequeat, cuius confirmatio, & IMPERATOR. c. lvn. §. 10. C. de Cad. toll. conf. l. 55. ff. 1. ff. de A. vel O. H. Haec regula est sine exceptione, cui non obstat l. 55. ff. de A. vel O. H. ut in consuetu probabimus: adeo ut ne testator quidem prohibere possit, cum per legem 55. de Leg. I. nemo possit in testamento suo cauere, ne leges prohibentes in eo locum habeant. Pro non adiecta erit habenda eiusmodi prohibitio.

*e*) Alia plane huius quam prioris natura. Notabiles vtriusque differentiae. 1) *Hoc* dicitur in praesumta & probabili testatoris voluntate BACHIVS l. c. ff. 3. BALDWINVS in Iuslin. l. 2. p. m. 84.; illud in legis praecepto. 2) *Hoc* non exercetur nisi a voluntibus & libentibus, c. l. vn. §. 11. C. nisi sint re tantum coniuncti, quorum peculiaris ratio; illud ab inuitis. 3) *Hoc* a Testa-

tore prohiberi potest, siue sint re tantum, siue verbis tantum, aut simul coniuncti l. 33. ff. de Leg. I.; illud fecus. 4) *Hoc* contingit vel sine onere, scilicet si sint re tantum coniuncti, vel cum onere scilicet in reliquis; illud semper fere cum onere cit. l. vn. ff. 10. C. 5) *Hoc* non obtinet, nisi inter eos, inter quos coniunctio propria est (per definit); illud, in omnibus qui in iure hereditario circa eandem hereditatem concurrunt, per l. c. Iam dari inter heredes ius accrescendi, voluntarium, ita probo: Si verum est, esse inter heredes ius accrescendi, quod sola voluntatis testatoris probabili interpretatione introducitur; si tale, ad quod subeundum nemo inuitus compellitur; si tale, quod testator prohibere potest; si tale, quod nulla ex alia causa proficiuntur, quam ex coniunctione propria; claret, in heredibus non exulare ius accrescendi voluntarium. Licet forsitan heredi acquirent semper onera subeunda sint, tamen inde iuri accrescendi volunt-

rius nouit Themis nostra. In heredibus vero utrumque, quod non semper distinguunt Interpretes, unde obscuritas f). Quid sit *deficere*, adeo peruulgatum est, ut indigna haec vox sit repetito studio.

## §. V.

voluntario dica scribenda non est, quia & in accretione voluntaria inter legatarios interdum onera sustinenda. Nil inde probatur magis, quam ius accrescendi voluntarium inter heredes, in reliquis plane simile ei, quod inter Legatarios est, vnico leui momento ab illo dissidere. Iam infra per singula demonstrabimus ista omnia, quae ius accrescendi voluntarium componunt, obviis esse in heredibus; fides inde erit ei, quod hic in atrio quasi tantum praemonemus. Esse vero etiam ius accrescendi necessarium inter heredes, hoc non egredit probatio centes hoc & ad fastidium usque inuenies dictum ab omnibus, quamprimum iuris accrescendi doctrinam attingunt, & leges in propatulo sunt, a nobis maximam partem iam excitatae. Quin imo plurima pars hoc solum agitat, & voluntarium istud quod diximus, ait ignorat, negaret adeo, & ludibrio habe-

ret laesaeque Sacrae Themidos reum ageret, si tibi forsan eius mentio excederet. Sed non desunt quoque, qui eminus nos eo deducunt, licet, forsan pro instituti ratione in eo memorando non adeo multi sint; sed ostendunt quasi alii campum, in quo decurrere possint. Vid. BACHIVS l.c. §. 3. Perill. HEIMBURG l.c. §. 92. sq. DVARENVS l.c. cap. 7. sq. Ant. FABER Dec. 49. Err. 2. In heredibus fideicommissariis, (modo his ius accrescendi esse, verum sit, de quo infra) permisam accretionem voluntariam, nemo mirabitur, sed amplius dicimus, ab eadem nec heredes directos esse destitutos, scilicet testamentarios, nam in reliquis cogitari nequit.

f) Nolo aliorum circa ius accrescendi definitiones cumulare, Herm. VULTEIVS ad §. fin. tit. Inst. de Donat. illud definit per ius, quo pars vacans cedit occupata.

B

## §. V.

GENERALIA IURIS ACCRESCENDI INTER COHEREDES  
PRINCIPIA.

Ius accrescendi inter coheredes locum habere nequit nisi

I) In iis qui ad eandem hereditatem vocati sunt g).

II) Nisi unus ex iis, quid ad eandem rem vocati sunt, deficiat, i. e. vt aut non possit aut nolit accipere suam partem ex hereditate. Prius accedit v. g. si illi quid relictum est, qui tempore conditi testamenti adhuc inter viuos numerabatur, subito autem morbo correptus, testatorem facto praecessit; vel si illi in ultima sua voluntate aliquid dedit testator, qui eo, cum illam ediceret, tempore, habilis erat, sed postea tabulis apertis inhabilis factus est, quod evenit in capto ab hostibus, seu in eo qui iura ciuitatis romanae amittit. Sed quaeritur b), an is quoque deficere dici

g) Quidquid hic posset de caso substitutionis pupillaris adnotari, id differimus, donec infra de accretione in substitutione pupillari plenius agetur.

b) Constat heredis institutionem, in qua heres deficeret, olim, nunc fuisse pro non scripta habitam, nunc adiuuisse caducam, nunc quasi caducam seu in causa caduci, nunc erexitiam, nunc vacantem. Eleganter haec omnia persequitur HEINECCIVS in Comment. ad leg. Iul. & Pap. Popp. Pag. 399 seq. Pro non

scriptis habita, in hereditate remansisse, & tam in legatis, quam in hereditatibus, iuri accrescendi subfuisse; docet quidem IVSTINIANVS c. l. vn. C. de Cad. toll., cui facile fidem haberemus, si IMPERATOR tam fidi historici, quam benigni legislatoris, famam haberet. Verum cum eius fides in rebus historicis admodum vacillet, dubii haeremus circa huius rei veritatem, eo magis, quod tam multi testes, & plures fere contra ipsum produci possint, quam pro ipso, de quo V. BALDVINVS in Iurisprud. Rom. & Attica

dici possit, in cuius persona institutio nunquam constituit? quippe quam quaestione in legatis saltim ex iure antiquo moueri posse certum est. Nimicum si illi quid relictum, qui eo tempore, cum ultima conderentur elogia, forte ignorante hoc testatore, in rebus humanis amplius non erat; aut illi quocum nulla testamenti erat factio, sive incapaci, ut deportato vel peregrino. IVSTINIANVS quidem l. vii. §. 3. C. de Cad. toll. negat, etiam iure veteri partem fecisse eum, qui testamenti tempore non existit, sed totum potius ad coniunctum pertinuisse fidem facit, tanquam qui pro non scripto habitus sit; ex hoc autem recte concludimus, quod Veteres illum eodem loco habuerint, quo hodie habendus est quisvis collegatarius deficiens, ut scilicet ius accrescendi efficerit. In pari quoque causa est is, quocum nulla plane testamenti est factio. Si enim huic coniunctum cum alio quid relictum est, coniuncto totum cedit,

B 2

Attica Tom. I. p. 1195. Contra ipsum est etiam VLPIANVS l.c. 34. §. 9. de leg. I. nec tam expedita est illa VINNI coniectura circa istum locum. Ceterum cum haec haesitatio legata tantum, non heredum institutiones concernat, de quibus agit l. 20. §. 2. Si viuus & mortuus ex parte dimidia coniunctum heredes instituti sunt, ex altera aliis, aequas partes eos (scil. hunc aliū & viuum priorem) habituros, quia mortui pars pro non scripta habetur; præterea autem IVSTINIANVS saltim indubie ius accrescendi inuexerit? mittimus hanc controuersiam, quae nos

nimiris abstraheret conf. EI. BALZ DVINI Comm. ad Inst. ad cit. §. 9. I. de Leg. Caduca & quasi caduca initio aerario, subsequente tempore fisco cedebant, non autem heredi coniuncto, erexitia transibant interdum ad coheredem, interdum non, sed ad aerarium; sicut & vacantia populo vindicabantur. Verum IVSTINIANVS caduca & quasi caduca expresso susulit, c. l. vii. C. erexitia retinuit, vacantia ignorauit, & quod probabile, sub caducis & quasi caducis comprehendit, vnde etiam in his ius accrescendi viget. HEINECCIUS l. c. pag. 422.

cedit, quoniam pro non scripto habetur, *I. i. C. de hered.*  
*infit.* in qua **IMPERATOR** qui deportantur, inquit, *si he-*  
*redes scribantur, tanquam peregrini capere non possunt, sed*  
*hereditas in ea causa est, in qua esset, si scripti non fuissent.*  
*Requiritur autem omnimoda incapacitas, vt tradit **VIN-***  
***NIVS** §. 8. Infit. de legat; adeo vt eiusmodi incapax,*  
*respectu alterius simul scripti, plane pro non scripto haberri*  
*debeat, vt igitur idem sit, siue eius mentio facta sit siue*  
*non, alias enim si non plane est incapax, partem facit con-*  
*iuncto, i. e. computatur eo effectu, vt alter dimidiam tan-*  
*tum partem capiat; & hoc sibi velle credit **VLPIANVM**,*  
*quando in *I. 34. §. 9. ff. de leg. i.* dicit: *Si coniunctim res**  
**legatur, constat partes ab initio fieri: nec solum hi partem**  
**faciunt in quorum persona non constitit legatum: ut puta**  
**si Titio & seruo proprio fine libertate.**

III) Quoque hoc omni accretioni inter coheredes com-  
 mune est, quod is qui suam partem adeundo acquisuit,  
 partem alteram vacantem ipso iure, etiam ignorans, nulla  
 intercedente noua aditione acquirat, & ius suum ad suos  
 ipsius heredes transmittat. *I. 53. §. 1. de Acquir. her. I. vn.*  
*§. 10. II. C. de Cad. toll. I. 26. §. 1. de Cond. & Dem. I. vn.*  
*C. quando pet. part. accresc. non pet. I. 2. §. 8. de bon. poss.*  
*sec. tabb.*

IV) Ius accrescendi non obtinet inter eos, qui e di-  
 uerso iure concurrunt, sed requiritur vt adsit idem ius he-  
 reditarium, idemque ex vtraque parte successionis genus.  
 Plerumque id deducunt ex *I. 6. ff. de bon. poss.*, sed quam  
 apte, viderint Doctores. Peroravit caussam *Ant. FABER*  
*Dec. 50. Err. 7. n. 5. 6.* Certe huius legis rationes pecu-  
 liares sunt, quae alias in iure non obviae. Caussa potius  
 ex ipsa accretionis indole petenda. Haec enim vel ideo ob-  
 tinet, quia non licet pro parte adire pro parte repudiare,  
 vel, quia, si concurreret, qui nunc deficit, non integra  
 fo-

foret superstiti iuris hereditarii, directa voluntate testatoris sibi adsignati, portio. Nec prior nec posterior ratio cadit in eos, quorum successio diuerso ex fonte est. Non prior, quia constat; Primo ex dimidia, Secundo & Tertio ex altera parte dimidia coheredibus, Tertio autem in casum deficientis Primi substituto, licere Tertio portionem ex institutione deferere, & eam, quam ex substitutione habet, occupare; nec minus, Primo rogato, ut Tertio partem suam fideicommissi nomine restituat, licere Tertio etiam hoc fideicommissario lucro potiri, & institutioni nuncium mittere: Sicut etiam vtroque casu Tertio licet substitutionem aut fideicommissum derelinquere, & suam tantum ex institutione partem sibi habere. Porro licet ei, qui heres institutus, simulque praegatum habet, hoc repudiare, & partem hereditatis adipisci, & e conuerso praegatum vindicare, & heres esse nolle l. 17. §. vlt. l. 18. de leg. l. l. 21. de adim. leg. l. 96. de leg. III. Non hic oritur pars testata, pars intestata; nec est *eadem* hereditas, sed duplex, vbi heres institutus duplicum personam sustinet, quo in casu non est *absurdum* partem agnoscere partem respuere l. vn. §. 10. de Cad. toll. Hinc patet Primo, Secundo & Tertio datis indiuisim coheredibus, & in casum deficientis Primi substituto Quarto; deficiente Primo & Secundo, portionem Primi quidem Quarto, Secundi autem soli Tertio cedere. Fideicommissarium quoque nunquam admittendum iure accretionis ad portionem eius, qui fiduciario coheres datus & deficit, sed huius vacantem partem non cedere nisi fiduciario, excepto casu, quo, cum id ageret, ut fideicommissum intercideret, ad adeundum compulsus est, tunc enim poenae loco, non ipsi, sed fideicommissario accrescit l. 43. ad Sct Trebel. Ibi enim extraordinarium quid subesse, facile patet ex verbis: *de illo plane solum quaerendum ait, an ei opus sit noua restitutione, postea quam portio ac-*

*creuit.* Nam si in se competenteret ius accrescendi fideicommissario, quaeri non posset, an ei opus sit noua restituzione, quum accretio, quod supra diximus, ipso iure fiat; sed quia proprie fideicommissario non accrescit, hoc autem speciali casu, lucrum ex accretione ortum ad illum deriuari oportebat, inde iniecta quaestio: *an noua opus sit restituzione?* Denique proprie accrescere fiduciario etiam claret ex verbis; *an ei opus sit noua actione?* quippe quae sensum non habent, nisi cum **CVIACIO** leges; **noua aditione.** Hac autem vocis facta mutatione, apparet, negari, noua opus esse fiduciario aditione, quippe cui sufficiat aditio partis suae, cum qua ipso iure, ut fert accretionis natura, coniuncta acquisitio partis alterius postea vacantis. In partes discedunt hac in quaestione maximi nominis viri. Pro nobis sunt **CVIACIVS L. 12. Obs. c. 12.** & **HVBER in Prael. ad. Pand. Tit. de accr. vel omitt hered.** Aduersantur **PAPILLONIVS l. c. p. 782.** **DVARENVS loc. c. Lib. I. c. 6. VOETIVS Comm. ad ff. Tit. ad Sct. Treb. §. 38.** quem tamen miror *l. c. Tit. de hered. vel. act vend.* *§. 3.* in contrariam sententiam discedere, eamque quasi rationem adducere, cur in entorem hereditatis ius accrescendi transire nequeat, licet ad entorem a fideicommissario argumentari non liceat. Non audiendi hi omnes, quia contra iuris accrescendi naturam loquuntur, & ex *l. 43. ff. ad Sct. Treb.* argumentum petunt, manifeste infalso conatu. Eodem modo, scriptis Primo & Secundo heredibus, Primo in re certa, Secundo simpliciter, Secundo non accrescit portio primi, quia Secundo oppositus, pro legatario est. **LEYSERI Meditat. ad Pandect. Spec. 361. per tot.** Haec regula est sine exceptione. Ea exceptio quam adfert **Ant. FABER Dec. 50. Err. 7.** iuri hodierno non conuenit. Ponit enim testamentum inofficium pro parte rescindi, quod hodie vix contingere potest. Sed si fingas,

singas, militari testamento dimidiae partis bonorum heredem nuncupari, relicta penes heredes ab intestato altera parte dimidia deficiente herede scripto, cui ceder portio vacans? Heredibus ab intestato, inquam. Sed an vi iuris accrescendi? Nunquam, sed quia testamento destituto, tota res reducitur ad caussam intestati. Nec posterior quoque ratio applicari potest diuerso iure ad hereditatem adspirantibus. Substitutus sub initium plane heres non fuit, quippe deficienti postea demum alteri surrogatus, vnde solidum ab initio habuisse dici nequit, concursu diminutum, de fideicommissario idem sit iudicium. Legatarii non diminuunt ius heredis. Nulla enim particula iurium hereditariorum transit in legatarium quippe diuersissima est legatarii & heredis causa, licet bonorum hereditariorum qualiscunque contingat immunitio, ut quodam loco laudatum FABRVM ratiocinari memini.

V) Accrescit personae heredis, non hereditati. Huius quidem dicti veritas ex iis, quae deduximus in promptu est. Nonne enim substitutus habet portionem hereditatis? Nonne fideicommissarius? Nonne legatarius hereditatem delibat? Cur vero his non accrescit pars aliqua heredis directo a testatore instituti, sed lubenter illubenterue subducti? Scilicet non spectatur in eo, qui iuri accrescendi inhiat, an partem hereditatis possideat, sed an eius generis heres sit, cuius erat is lateri adpositus heres, successionis aut impotens aut contemtor. In aprico inde est, quem in sensum accipienda sit I. 33. §. 1. ff. de Vsiufr. vbi *portio vacans accrescere*, dicitur, *portioni residuae velut alluio*. Scilicet mens PAPINIANI non alia ibi est, quam eum, qui plane coheres aut collegatarius non est, ex iure accrescendi non posse proficere. Id enim fert facti species. Praecessit ies iudicata, qua petenti ius legarii non

non esse, declaratum est. At quis nescit, rem iudicata  
 tam pro veritate esse? *l. 207. de R. I. l. 25. de stat. Hom. I.*  
*pen. de Effect. Sent.* Ergo is qui hic accretionem cupe-  
 ret, vere heres aut legatarius non esset. Hoc ita PAPI-  
 NIANVS: portio vacans instar alluuionis est. *Instar al-*  
*luuionis esse*, hinc aliud nihil, nisi ab eo alienum esse,  
 qui per sonam heredis aut legatarii non sustinet. Locus  
 auctorissime nostris doctrinis concors. Nec dissidet VLPI-  
 ANVS, quod vulgo credunt, *l. 83. ff. de Acq. hered.*  
*Si totum aut partem, ex qua quis heres institutus est, ta-*  
*cite rogatus sit restituere; apparebit, nihil ei debere acre-*  
*scere; QVIA REM NON VIDETVR HABERE.* Torquet  
 hic locus interpres. Quare? Is qui clanculum de resti-  
 tuenda contra leges hereditate fidem commodauit, heres  
 adhuc est. Qui sic? Adhuc ex pupillare substitutione ca-  
 pit *l. 43. §. 3. ff. de Vulg. & pupill. Subst.* Inde quid ma-  
 li? Maxime; omnis Philosophia nostra euersa. Non ha-  
 bet accretionem. Ratio sola quia non habet hereditatem.  
 Naeniae. Non est heres, sed praedo. *l. 46. ff. de her petit:*  
 Quod ad substitutionem pupillarem admittatur, non pro-  
 bat, eum esse heredem patris, nam multis modis, is  
 qui omnis successionis paternae expers, ad tabulas pupil-  
 lares adspicit, *l. 3. l. 8. §. vlt l. 31. l. 43. §. 3. in f. de*  
*Vulg. & pup. Subst.* Miror haec adeo torfisse CVIA-  
 CIVM *L. 12. Obf. c. 13. & Ant. FABRVM Dec. 50. Err. 5.*  
 qui re nobiscum sentiunt. Colliduntur hoc loco admodum  
 ingenia, vbi in quaestionem illam incident, an ius  
 accrescendi in emtorem hereditatis, aliumue, ab herede  
 caussam ex contractu pactoue habentem, transeat. In tres  
 classes scinditur factio. Alii litem dant secundum emtorem,  
 alii venditori patrocinantur, alii iudicia diuidunt, & me-  
 dia quadam via incedunt. Ad priores referendus DVA-  
 RENVS *l. c. L. 1. cap. 7. PAPILLONIVS l. c. p. 782. ad*  
 secun-

secundam familiam Perillusfr. HEIMBURG loc. cit. §. 43. 47.  
 Henr. FRANZKIVS Comment. ad Dig. Tit. de Legat. num 59.  
 sq. VINNVS Sel. Quaest. L. 1. c. 55. CVIACIVS, Ant. FA-  
 BFR I. l. c. c. erit secundi denique sunt VOETIVS l. c. Tit.  
 de Her. vel act. vend. §. 3. Ger. NOODT Comment. ad  
 Pand. eod. Tit. in Oper. p. 316. Nil iam moror argumentorum farragines, quibus quaeque pars sententiam suam circumuallat. In lumine videatur iam esse, ex iis, quae praediximus, melior inter reliquas sententia. Non accrescit emtori, quia non sit heres, quod decantatum est, licet hereditatem nanciscatur. Non autem accrescit hereditati, sed personae heredis. Iniquum tamen est, venditorem ad transferendum lucrum, quod facta venditione ipsi accreuit, non compellere. Emotor emendo eo euectus, ut heredis loco sit, & omne ad eum pertineat iuris hereditarii damnum lucrumque, & ipse nec amplius nec minus iuris habeat, quam penes heredem foret. l. 2. §. 9. & 18. de Hered. vel act. vend. Solum noto FABRVM, qui hic CVIACIVM, Iuris Oraculum, illiberalius habet, quasi cum, qui ultra primas litteras progressus non sit. Sed quale ipse opprobrium meruerit, videat, Certe magno conatu parum adfert. Cur immemor fuit vniici argumenti: *Non hereditati sed heredi accrescit?* Alio loco IDEM hac yfus formula Dec. 12. Err. 9. disputat: An filiae renunciantis circa legitimam portio hereditati, an heredibus in testamento scriptis, accrescat. Pone: FABRVM, condito testamento, vnum pluresue heredes extraneos scripsisse, filiis in legitima breui oratione institutis. Filiam huius partem non ferre, quippe quae viuo testatore renuncauerit. Eam fratribus partem facere, infra docebimus. Ergo pars eius accrescit heredibus extraneis. Pone, hos fideicomisso vniuersali grauatos; an etiam filiae partem, quae accrescit, restituent? Putat FABER. Sed quo argumen-

C

to?



to? Ipse nouerit, mihi non constat. Non vrget ratio a regula secedendi. Sed num forsan ita distingui posset: aut filia ante testamentum conditum renunciauit, aut postea demum? Posteriori casu deficientium in numero est, & ad horum cynosuram reducenda. Priori autem, testator fideicommisum iubens vniuersale, sciensque & filiae iam seiunctae partem non ad alios, quam heredes extra-neos spectare, tacite quoque eosdem rogasse, ut etiam hanc fideicommissariis restituant. Consulant in medium alii.

VI) Accrescit coheredibus cum onere, siue coniunctio propria intercedat siue secus. *I. vn. §. 10. C. de Cad. toll.* Mireris hic adeo IUSTINIANVM a se ipso recessisse, qui in legatis distinguit inter re tantum & verbis coniunctos, a qua distinctione hic sine solida ratione diuortium fecit. Olim ea de re inter ICtos non conuenisse, constat ex *I. 61. ff. de leg. II.* donec argumento rescripti D. Seueri, pro onere subeundo pronunciaretur. GRAVINA de Orig. Iur. L. 3. §. 61. conf. *I. 16. §. 1. ff. de leg. I. I. 76. §. 7. ff. de leg. II.* Sed nullaene a regula exceptiones? Dissident Interpretes. DVARENVS *I. c. L. 1. c. 2.* nullas admittit, nec curat, an ab initio inanis fuerit alicuius coheredis institutio, an postea demum euacuata, quia non liceat hic a legatariis ad heredes argumentum traducere. In contrarium sententiam abit BALDVINV, Iurispr. Rom. & Att. Tom. I. p. 197. Leges non adeo proclives. Obstat *I. 122. §. 1. de leg. I.* vbi legatum deberit, a coherede relictum, qui pro non scripto habetur. Verum bene moner PAPILLONIVS *I. c. p. 785.* hic loci *pro non scripto esse*, impropri dicunt, cum ex ipsis legis contentis nil minus patet, quam ibi de eo, qui inutiliter scriptus est, verba fieri. *Pro non scripto esse*, ergo ibi nil, nisi desicere. Nec obstant

obstant *I. l. §. 9. 10. de leg. III. l. n. 12. 13. de Iure Codicilli.* quia de alio plane casu loquuntur. Nec obest *l. 29. §. vlt. de leg. II.* condita quippe ante constitutionem *D. SEVERI,* de qua *l. 47. de leg. I.* Quid distent hic legis institutiones, non video. Inde ab exordio iam inualide adpositum coheredem, sine onere accrescere, haud absque ratione statuimus. Sed an etiam id, quod de onere personali edicit *IMPERATOR c. l. vn. C. in legis.* ad institutiones transferri poterit? Sic placet. Ait *IMPERATOR,* perraro etiam in iis, quae pro non scriptis sunt, onus non dehiscere. Ad duos nempe casus, ab *Ipsu speciatim probatos,* digitum refert. *Alter prostat l. 26. §. 6. ff. de Fideicomiss.,* vbi fauor libertatis. *Alter latet l. vlt. ff. de his quae pro non script.,* vbi tamen non tam accrescit legatum, quam in hereditate subsideret, onere integro. Iam adscribe te ipse coheredem, aut alio modo inutiliter adiecta libertatis tribuendae conditione coheres scriptus esto; te licet subducto, onus adiectum saluabitur.

VII) Accrescit cuius coherendum pro ea parte, qua est institutus. *l. 59. §. 3. ff. de hered. Inst. l. 66. eod. l. 78. §. 4. ad l. 78. §. 4. ad Sct. Treb. l. vn. §. 10. C. de Cad. toll. verb.: pro hereditaria parte.* Non obstat *§. 8. d. l. vn. C. verb.: pro virili omnimoda portione.* Mittimus, quae de parte grauata accrescente non grauatae, & non grauata accrescente grauatae in scholis personant, haec enim ad tirones.

VIII) Accrescit inuitis etiam creditoribus, debitoris, ultra vires bonorum aere alieno obruti, portio. Cessat enim Pauliana si debitor lucrum, alterius caussa, omis-



*sit. l. 6. pr. ff. quae in fraud. cred. l. 1. §. 6. si quid in  
fraud. patron. l. 134. de R. I.*

IX) Non accrescit iis, quorum ius hereditarium certis limitibus ab ipsis legibus est circumscripum, ubi non plus ultra. Huc pertinet *l. 6. ff. de B. P.* quam egregie pro more suo explicat *Anton. FABER Dec. 10. Err. 7.*, nobisque praeccepto studio otium facit. *Commodis nostris infra inseruierit istud dictum.*

## C A P V T II.

DE

### IURIS ACCRESCENDI AB INTESTATO.

#### §. VI.

##### ORIGO IURIS ACCRESCENDI AB INTESTATO.

Si originem atque fata iuris accrescendi species, illud cum libertate romana natum, cumque hac fere prescriptum esse, recte dices; vsque dum a Iustiniano iterum ab exilio reuocatum, illo mediante plenissimum suum vigorrem pristinasque vires recepit. Iam de iis, quae quasi per compendium diximus, prolixius differendi animus est. Omnis apud Romanos successio est duplex, vel legitima, vel testamentaria, prout sanguinis coniunctio, vel suprema testatoris lex aliquem ad succedendum vocat; in ultimo casu aliquis vel ad lucrum singulare, vel ad vniuersale vocatur. Iam hac subdivisio adhibita, triplex nascitur successio, & hinc triplex quoque ius accrescendi inde oriri debet, simulque triplex distingui potest iuris accrescendi historia. Sed nos historiam accretionis heredium tantum pertexere iuuabit, & primo quidem eius, quae ab int-

stato

statu locum habet. Sanxerat autem lex XII. Tabularum  
 s. INTESTATO. MORITVR. CVI. S V.S. HERES. NEG.  
 ESCIT. AGNATVS. PROXIMVS. FAMILIAM. HABETO.  
 SI. AGNATVS. NEG. ERCIT. GENTILIS. FAMILIAM.  
 HERES. NASCITOR. PAVLVS l. 9. ff. de lib. & posth.  
 VLPIANVS Fragm. XXVI. i. Iac. GOTHOFREDVS  
 Leg. XII. Tabb. Tab. V. 2. v. BYNCKERSHOECK. Obs.  
 L. II. i. HEINECCIVS. ad Leg. Iul. & Pap. Popp.  
 Cap. IX. §. u. Apparet ex his legum Decemuiralium  
 verbis, heredes suos proprie ex legum constitutione ad  
 successionem non vocari, sed illos suo quasi iure, non le-  
 gum auctoritate subnixos, succedere. Hinc PAVLVS l. u.  
 ff. de lib. & posth. hered inſtit. eleganter, in suis, inquit,  
 heredibus euidentius apparet, continuationem dominii eo  
 rem perducere, ut nulla videatur hereditas fuisse: quaſi  
 olim hi domini effent, qui etiam viuo patre, quodammodo  
 domini existimantur; unde etiam filiusfamilias appellat-  
 tur, ſicut paterfamilias: ſola nota hae adiecta, per quam  
 diſtinguitur genitor ab eo, qui genitus fit: itaque poſt mor-  
 tem patris non hereditatem percipere videntur, ſed magis  
 liberam bonorum administrationem confequuntur: hac ex  
 cauſa licet non ſint heredes inſtituti, domini ſunt. Hinc  
 ulterius adhuc idem PAVLVS ait l. 7. ff. de bon. damnat.  
 quod ratio naturalis, quaſi lex quaedam tacita, liberis pa-  
 rentum hereditatem addicat, velut ad debiram ſuccesſio-  
 nem eos vocando, propter quod & in iure ciuili ſuorum he-  
 redum nomen eis inductum eſt: quia patrem repreſentando,  
 quaſi ſui ipſius ipſi heredes ſunt. Hinc apud PLAUTVM  
 Trium. II. 2. Lysiteles, patri interroganti, num de ſuo  
 amico subuenire vellet, respondit:

De meo.

Nam quod tuum eſt, meum eſt: omne meum eſt  
 autem tuum.

C 3

Cum



Cum igitur, vti iam ostendimus, non ex legum succedant auctoritate heredes sui, hinc etiam ius accrescendi inter illos, nulla lege interueniente, portione vacante quasi in pristino remanente domino, ipso iure obtinebat. Reliquorum autem, qui ab intestato succedunt, ius accrescendi, vti ipsa eorum successio, legibus suffultum sit necesse est, statuerant igitur Decemviri: s INTESTATO. MORTVR. CVI. SVS. HERES. NEC. ESCIT. AGNATVS. PROXIMVS. FAMILIAM. HABETO. Familia autem consistit in complexu omnium rerum quas defunctus reliquit. Si haec in hoc complexu consistat, necesse est, vt inter agnatos ius accrescendi locum habere debeat, quia alias tota non absorberetur familia. Gaudent igitur hoc iure agnati ex ipsa legis dispositione, totam illis familiam adiudicantis, & pergit haec lex: SI. AGNATVS. NEC. ESCIT. GENTILIS. FAMILIAM. HERES. NASCITOR. Eadem scilicet est succedendi ratio, idemque fundamentum iuris accrescendi in gentilibus, quod in agnatis fuisse animaduertimus.

### §. VII.

EPSA IURIS ACCRESCENDI IN SUCCESSIONE AB INTESTATO CIVILI PRINCIPIA.

Non opus hic est ambagibus. Vna tenenda eaque simplex regula: *Ius accrescendi ita ab intestato exercetur, ut res eo loco sit, quo fuisset, si heres deficiens plane non existisset.* Etenim non esse, & effectu non esse, idem est Iuris ordinario, quam quidem iuris regulam, *hic in causa* mutatam esse, non constat. Inde iam facilis causum quorumuis explicatio. Deficiente quodam ex filiis, accrescit reliquis filiis in capita, nepotibus ex iure representationis in stirpes. Deficiente quodam ex nepotibus,

accre-

accrescit reliquis ex eodem filio nepotibus tantum, aut,  
 si hi defint, auunculis in capita, auunculorum filiis ex  
 iure representationis in stirpes. Relictis ab intestato so-  
 lis adicendentibus, deficiente matre, accrescit patri. Re-  
 lictis, auo auiaque paternis, simulque auia materna, de-  
 ficiente auo paterni generis, soli accrescit auiae paternae.  
 Deficiente quoque auia materna, accrescit duobus priori-  
 bus ex aequa parte. Si & germani germanaeus adsint,  
 & eorum earumque liberi, deficiente ex adicendentibus  
 quopiam, adcrescit reliquis adicendentibus, germanisque  
 in capita, germanorum autem liberis in stirpes. Si fratres  
 sororesue sibi solaeue, vna cum aliorum aliarumque liberis  
 adsint, deficiente ex prioris generis collateralibus quo-  
 quam, accrescit reliquis in capita, posterioris generis col-  
 lateralibus autem in stirpes. Et deficiente ex horum ge-  
 nere aliquo, solis accrescit ex eodem fratre liberis reliquis,  
 alioquin auunculis in capita, eorumque liberis in stirpes.  
 Si soli adsint fratrum sororumque liberi, uno ex iis de-  
 ficiente, reliquis accrescit in capita, &c. Pertinent huc  
 §. 4. I. de Sēto. *Orphician.* l. 9. ff. de suis & legit hered.  
 & locus ex *Iul. PAVLLI. SENT. REC.* L. 4. T. 8. §. 26.  
 apud SCHVLTINGIVM in *Iurisprud.* Anteius p. 413, vbi  
 ita: *Ex pluribus hereditibus iisdemque legitimis, si qui*  
*omiserint hereditatem, vel in adeundo aliqua ratione fue-*  
*rint impediti, his, qui adierunt, vel eorum hereditibus omit-*  
*tentium portiones accrescunt. Quo in herede instituto, eum,*  
*qui acceperat substitutum (seu, VI CVIACIVS & IANVS a*  
*COSTA emendant: eoque coheredi substituto) euenire non po-*  
*terit; diuersa enim est causa scripti & legitimii. Qua in*  
*lege obseruo, mihi non placere notatam CVIACII & IA-*  
*NI a COSTA emendationem. Effusior enim est & teme-*  
*raria nimis. Muta: eum in: eo, & habebis sanum sensum.*  
 Casus est: Primus & Secundus sunt Tertii fratres & here-  
 des

des legitimi. Nullum conditum est testamentum. Deficit Primus; hinc accrescit Secundo. Hic est prior causus. Sequitur posterior. Tertius scriptis testamentum, & primum heredem instituit, eique in casum, quo deficeret, substituit Extraneum. Deficit Primus. Hic plane *euenire non poterit* accretio; *diversa enim est causa scripti*; id est, si Primus, ut heres scriptus, adiecto substituto, deficit, & legitimi, i. e. si Idem ut heres ab intestato deficit. Agunt de accretione ab intestato SCHANZ. *l. cit. §. 90. 96.* HVBER ad *Instit. p. 242.* DVARENVS *l. cit. Cap. 10.* Accrescit hic quoque ignorantia, sed qui suam partem adiit, per *l. l. c.c.* Hinc pone, Titium diem obire. Relictos duos fratres heredes legitimos; & alter fratum adit hereditatem, alter autem remotius absit, & antequam de morte Titii cognoverit, animam agit, Relinquit ex se filium. Hic ad hereditatem Titii in partem neutquam venit, quia pater non adiit. Ergo accrescit *i).* Sed cui-nam? Pone alterum fratrem, qui adiit, prius, quam ad eum de morte fratri sui absens fama peruaderet, fato functum. Nil ad rem. Accrescit filio eius, portio, qua exutus est auunculus absens per fatorum praecocitatem. Sed singularis adhuc excutienda quaestio, scilicet an coniux inops, superstes ei, cui laudiores fuere opes, iure accrescendi vtratur? Notum est successionem his conditionibus tributam esse coniugibus. *Nov. 53 c. 6. Nov. 117. c. 5.* Auth. Praeterea C. unde *Vir & Vx.* Miror hanc disputationem plane subterfugisse diligentiam *Conr. RITTERS.* HV.

*i)* Non enim mihi ad palatum est successorum illud edictum, quod hoc loco sibi fingunt STRYK de Success. ab Intest. Diff. 3. Cap. I. §. II. & EYSEN Obs. ad *Instit. in Eis Oper. p. 115. obs. 14.* Scio

id a successione praetoria ad ciui-lem, in qua olim ignotum fuerat, transtulisse IVSTINIANVM §. 5. de legit. agnat. success., ve-rum hoc nostro in casu perperam applicatur.

HVSII in Comment. ad Nov., Matthiae STEPHANI in  
 Commentar. ad easdem, SONNEMANNI denique in Vſu  
 Moderno Nouellarum. Ample eam tractat STRYK in Tr.  
 de Success. ab. Intit. Diff. 4. ſ. 28. negatque coniugi ac-  
 cretionem, quod idem a DVARENO fieri l. c. cap. 18 in fin.  
 deprehendes. Ratio autem, cur coniugi tribuendum ius  
 accrescendi, haec eft, quod ipſi in legibus successio diferte  
 tribuitur, ceu etiam heres exprefſiſime dicitur. Cum  
 igitur heredibus accretionem iura tribuerint, quid impe-  
 diret, quoniam idem iuris coniugi quoque conſeſſum fit.  
 Sed parum haec mouent STRYKIVM aliosque. Omni ac-  
 cretione nihilominus rigide interdicunt. Vnde tanta bilis  
 interpretibus? Scilicet hi ita: Pone, inquiunt, eſſe patri  
 vnicum filium ſimilque vxorem indigam. Huic quarta  
 pars hereditatis addicenda, reliquum filio. Sed filius pa-  
 tris fata anteuerit. Quid agendum? An vxori tota here-  
 ditas mariti tradenda? Caue dixeris. Ergo vxori nunquam  
 plane accrescit. Bona verba, o me! quam praecipitatis  
 argumenta! In hoc vnioco, quem obuertis caſu, ad regu-  
 lam vniuersalem nihil momenti eſt. Aliter incedendum.  
 Leges ipsae coniugi egeno hos posuere terminos, vt vi-  
 tra quartam partem non caperet. Hinc vere dicitur, vxor,  
 quae quartam habet, a iure accrescendi omnino arceri.  
 Memento eorum, quae ſ. 5. num. 9. notatum. Sed  
 inde non sequitur, quod ipſi nunquam accrescat. Pone  
 enim, marito praemortuo, ſex eius fratres, vxoremque  
 ſuperſitem familiam herciscere debere. Vnum ex fratri-  
 bus ante, quam adire poſſit, morte abripi. Num ad-  
 huc, legibus inuitis, accrescendi ius in ſe transferet vxor,  
 ſimil cum fratribus qui ſupersunt? Non ceneo. Heres  
 eſt, ſucessione habet, non reprimunt leges, niſi ad  
 quartam, a qua autem longe adhuc abeſt. Sed nec heres  
 D est,

\* \* \* \* \*

est, dicunt pragmatici. — Cur? legatis nequit. Appage ineptias. Sic, cui legitima relinquitur, heres non est.

### §. VIII.

#### IUS ACCRESCENDI IN SUCCESSIONE AB INTESTATO FEUDALI.

An ius accrescendi in feudis obtineat, solent plerumque iuris feudalis Interpretes ad *II. Feud.* 12. negare, quam tamen legem si inspexeris, patet, aut Interpretibus alio plane sensu hic accipi ius accrescendi, aut in ciata lege nihil esse praefidii. *v. BITSCHII Comment. ad Ius Feud. Long. LYNKERI Concord. Iur. Feud.* adiect. *LVNIGII Corp. Iuris Feud.* voc. *Accrescendi ius.* Res mihi ita se habere videtur. Solet distingui a Commentatoribus, inter successionem in feudum vacans in casu mortis aut refutationis Vasalli, & eam, vbi ob feloniam, alienationem a Domino adprobatam, praescriptionemue feudum vacauerit. *Ibi* statim tribuunt successoribus feudibus praesens feudi occupandi ius, *hic* vero, exincto demum vasallo eiusque liberis. *cocceii Hypomn. Iur. Feud. Tit. 10. §. 7. SCHRADER p. 7. c. 7. n. 27. VVLTEIVS l. c. c. n. n. 96.* Non iam rigorose haec spesto, alias enim iure feudali Longobardico quidem, non vero Germanico, feloniam patris obesse, dicerem. *v. Ius feudale STRUVIO-HELLEFELDIANVM §. 431.* quod etiam de praescriptione tenendum. Sufficit, viuo saltim vasallo, feudi iacturam merito, illud ad successores non transmitti. Videbitur forsan eadem distinctio successoribus feudi non inepte posse accommodari. Etiam hi aut morte aut renunciando, aut dominum offendendo, aut iura sua negligendo, possunt successionis fieri expertes.

tes. Quod de offensione dixi, de eo vide speciatim veterem INTERPRETEM apud LÜNIG Corp. Iur. Feud. Germ. Tom. I. p. 248. verb. *Bey mir ist gefragt worden.* MYLVS de Felonia ante praesitum fidelit. iurament. commissa. Vnde argumentari liceret, esse omnino ius accrescendi in feudo antiquo, si quis eiusdem gradus successorum aut repudiet successionem, aut ante vasallum decedat, secus autem, si aut violauerit, aut per praescritiōnem negligentiae poenam tulerit. Verum non prodest hoc loco ista distinctio. Non valet a Vasallo possessore ad successorem argumentum sed huius deficients quounque modo portio, ad reliquos successores continuo deuolvitur. ROSENTHAL de Feudis P. 6. Concl. 73. In hoc id dicendum, quod supra diximus, non esse, & effectu non esse, pari passu ambulare.

### §. IX.

#### DE IURE ACCRESCENDI IN SUCCESSIONE AB INTESTATO GERMANICA.

Liceat hic etiam nonnullas e Successione Germanorum quaestiones interferere, quibus ad argumentum nostrum aegre caremus. Notatu praeципue digna sunt *portio*, que dicitur, *statutaria*, & *succeso utensilium*, *der Gerade*, pariter ac *apparatus virilis*, *des Herrgewerthes*. Id enim vix eget memoratione, quod, si passim in Germania alias successionis communis ordo stabilitus sit, alia quoque iuris accrescendi ab intestato principia inde procedant. Sic si fratres sororesque semper ab adscendentibus excludantur, ut hic in Ducatu Magdeburgico P. O. Cap 44. §. 21. & in Saxonia STRYK. de Success. ab Intest. Diss. 2 Cap. 3. §. 3. non autem in Marchia Brandenburg. Const. March. von Erbsaellen. Rubr. von der aufsteigenden Li-

D 2

nie;

nie; tunc nec accrescere quoque posse collateralibus portionem deficientis vnius ex adscendentibus, per se patet. In terris Saxonici cesat quoque ius repraesentationis in fratum liberis, ob regulam des *Landrechts Lib. I. c. 17.* *Ie naeher dem Sip, ie naeher dem Erbe.* Fratum tamen germanorum liberi in capita concurrunt cum consanguineis aut uterinis ob paroemiam: *Die halbe Geburt tritt einen Grad weiter.* Iure Lubecensi distinguitur inter liberos separatos k) & non separatos. Hi, superstitibus illis, ex fortes

k) Duplex Germanis celebratur separatio. Altera dicitur *Separatio oeconomiae*, quae fit, quando liberi sibi ipsi de vietu & cultu prouidere incipiunt, altera *Separatio plena*, quae accedit, quam praetente liberalitate & praecepta quasi hereditate, loco futurae successio- nis, liberi aliquid addicunt parentes. Haec diuidi poteris in Separationem *iuris communis* & *iuris Lubecensis*. Posterior est loco successionis, ob communionem quae inter liberos & parentes, debite, prior loco successionis, ex legibus immediate profectae. De separatione oeconomica praelare scripsere J. H. BOEHMER *Dissert. de stat. Liber. sui iur. infant. per separ. & nupt.* THOMASIVS *Diss. de Quasi. Emancip.* IO. VLR. CHPH. TRESENREYTER *Dissert. de Emancip. minus plena, & Georg. Frid. KRAVSE in. Dissert. Different. Emancip. tacitae Rom. & German.* De

separatione plena optima omnino est laudata, Herm. GE- BN- CKAV *Dissert. conf. quoque EN- GELERECHT Dissert. de Legiti- ma per quam separantur liberi.* De huius generis separatis sermo est in textu, non de prioribus. Haec separatio admittit liberi ius ab intestato succedendi parentibus, donec alii liberi haud separati superuerint. Lubeccae tollit quoque successionem, parentibus alias tributam, donec existant fratres fororesque, aut ascendentis remotaiores, cum quibus nulla intercessit separatio; aliis tamen in locis tantum in parentes statuendum non est. Aufert denique separatis ius succedendi in fratum, non separatorum hereditatem, donec suppetant alii nondum separati, & non separatos exuit iure succedendi in bona separatorum, donec ad sint alii separati. Ex his de iis, quae in textu dicta sunt, indicium esto.

sortes sunt iuris succedendi in bona parentum. Herm. Ge.  
 BVNEKAV *Diss. de Separat. Liber. ex iure Germ.*, cumpri-  
 mis Lubec. Sic quoque, si quis ex liberis decedat & pa-  
 rentes ad sint, separatis primo succedunt fratres sororesque  
 pariter separati, deinde non separati, denique parentes,  
 non separatis autem liberis soli parentes, non desuncto-  
 rum fratres sororesque separati. STRYK *l. cit. Diss. 2.*  
*Cap. 3. §. 7. 8.* Denique, si parentes orbi decedant non  
 separati, his primo consortes, denique dissortes fratres;  
 si separati vita fungantur, primo fratres, cum quibus  
 erit scitum nondum est, deinde separati omnimodo,  
 denique nunquam a parentibus separati, a quibus suas ta-  
 men rationes sciunxerat defunctus, heredes sunt. *l. c. Diss.*  
*3 c. 3. §. 17.* Inde ad eundem modum aestimanda accre-  
 tio. Portionem autem statuariam quod attinet, de qua  
 egregia exstat Perillustr. Sam. Frid. BOEHMERI *Diss. de*  
*Ratione decid. controv. circa port. statut. coniug.* ea qui-  
 dem duplex est. Altera, vbi succelusrus coniux sua con-  
 ferre non tenetur, altera, vbi collatu opus est. *Ibi* ve-  
 ram successionem subesse, hic communionis potius cuius-  
 dam *οχήμα*, in *Diss. cit. solidissime euictum* est. Vnde  
 argumentum: *Ibi* aditione coniugis superstitis opus erit,  
 nec is, ignarus mortis alterius, lucrum, cui imminebat,  
 ad heredes transmittere poterit, hic ipso iure transmittet;  
 ius quippe, iam viuo & valente altero coniuge, super-  
 stiti quae situm, nullaque fortunae temeritate intercipien-  
 dum. Priori itaque casu, vxoris, mortis mariti nesciae,  
 statimque post hunc ad eosdem viuendi terminos progres-  
 fae, portio heredibus mariti accrescit. Posteriori fecus.  
 Ipsa autem, num ad partes heredum mariti qui defecerint,  
 retro accedit? Nullus dubito. Priori casu heres est. Ni-  
 si certis per leges circumscripta sit finibus, ad quantascun-  
 que enitetur accretionis copias. Sin meta descripta, ad

D 3

hanc



hanc usque efficeretur. Posteriori non heres, communionis  
 tamen vniuersalis socia est, qua quidam ex parte quid sit  
 herede deterior, non video. Successio Romanis acquiren-  
 di modus vniuersalis, coniugium Germanis. Quid inter-  
 est? Iure Saxonico distinguitur maritus & vxor. Ille, he-  
 redis nomine, omnia mobilia, nomina, animantia, post fa-  
 ta vxoris occupat, quantum per Geradam & Legitimam  
 fas est. In vxorem non tam indulgens est ius Saxonum  
 commune, Elektorale benigtius v. SCHAVMBVRGS *Ein-  
 leitung zum Saechsf. Rechte.* In Marchia Brandenburg.  
 coniugi superstiti debetur semis bonorum, congestis vtrius-  
 que coniugis facultatibus, reliquam partem, aut heredes  
 mariti, aut fiscus auferunt. Semis illa non intelligitur, nisi  
 deducto omni aere alieno vtriusque coniugis. *Conft. von  
 Erbfaellen unter Eheleuten.* Nulla tamen superstiti necel-  
 sitas imposita, lucrum statuti eligendi; poterit enim, si  
 lubet, etiam suum repetere, sive ab aeris alieni defuncti  
 mole se sospitem recipere. *STRYK l. cit. Diff. 4, cap. 3.  
 §. 37.* Iam pone, maritum debitum oppressum, vxorem  
 beatiorem fatis praereptam. Fuit vxori dos 4000. Thaler-  
 orum. Maritus sua decoxit, praeterea 3000. Thaler.  
 in aere est alieno. Si lucrum statutarium vrget, compo-  
 sitis cum dote vxoris 3000. Thaler. debitum, remanent 1000,  
 vnde deducit partem dimidiā, residuumque 500. Tha-  
 ler pretium heredibus vxoris largitur. Sed amarus est  
 foeneratoribus suis, heredibus vxoris benevolus. Absti-  
 net se ab hereditate statutaria; & dote integra vxoris so-  
 lis illius heredibus derelicta, sua sibi seruat debita, peculii  
 loco. Rabies occupat foeneratores, spem recuperandi  
 crediti, quam manibus tenere sibi videbantur, sic infen-  
 sisime sibi excuti, indignatos. Integrum sit ipsis, om-  
 nibus diris se deuouere. Nil impediet maritum, quominus  
 lucrum, quod offerebatur, omittat. *Quibus in locis com-  
 mu-*

munio bonorum vniuersalis inter coniuges recepta, ibi, praedefuncto alterutro coniuge, superstes aut dimidiata partem bonorum communium nanciscitur, reliqua parte ad liberos referenda, aut liberis non exstantibus, solus in se transfert omnia <sup>1)</sup>). Hinc deficiente ex pluribus liberis uno, non coniugi superstite, sed fratribus: deficientibus his omnibus, matri: deficiente matre, liberis accrescit aequaliter. Idem in communione particulari iuris est, mutatis mutandis. Aliud tenendum de communione acquaeftus. Hic enim, deficientibus liberis, ad matrem integer haud pertinet, sed dimidiatus, non exclusis remotioribus mariti, heredibus. Vxore deficiente, nil accrescit heredibus mariti, sed vxoris heredes ipsius in vicem subeunt. In Ducatu Magdeburg. P. O. Cap 44. von Erlfaelen §. 35 seq. secernitur maritus ab vxore. Si haec superstes, vel liberi adsunt, vel non. Hic semis vxori ex solis defuncti bonis debetur, ibi quadrans, si liberi intra tres; virilis, si plures. Si maritus

1) *Communio bonorum* inter coniuges dicitur, quum eadem utriusque in bonis alterius iura sunt, quae huic in suis. Ea est *vniuersalis*, si eadem utrimque iura sunt in omnibus alterius bonis, *particularis*, si in quibusdam tantum. Haec vel ad quandam collatorum partem dirigitur, vel ad *acquaeflum*. Ibi dicitur *communio particularis absolute*; hic oritur *communio aquaeftus*. *Acquaeftus* autem est, quidquid, stante matrimonio, bonorum a coniugibus colligitur. Iam hoc duplicitis generis. Nam vel industria coniugum acquiritur, vel fortunae pro-

speritate. Si utrumque communio, dicitur *communio aquaeftus absolute*; si prius tantum, *collaboratio*. Prae aliis hic perspicue docuit Io. Rud. ENGAV Diff. de Bonor. inter Coniuges Suen., speciatim Memmingens. communio, licet nec alii sive deneganda sit commendatio. Id modo notandum, communionem vniuersalem & particularem absolute dictam, genuinis principiis Germanicis; communionem autem aquaeftus omnem, principiis magis peregrinis regi, unde diuersitas in textu notata.

ritus superfit, non adnatis liberis, salua parentum legitima, quae est triens, & salua Gerada, Mobilia & semissen habet: adnatis liberis, mihi distinguendum videtur, an mobilia suppetant eius pretii, quae quadrantis totius hereditatis loco esse possint, an secus. *Ibi* praeter mobilia nil debetur, *hic* ex immobilibus nunc quadrans, si intra tres, nunc virilis portio, si plures liberi existant. Gerada solis feminini generis continui liberis, adscendentibus & cognatis, legibus addicta *m*). Deficientibus his non accrescit reliquis defunctae heredibus, sed in fiscum redigitur. Ope autem horum utensilium, illi, ad quam pertinent, nulla in bonis reliquis accretio. Inter se vero cognatae, coheredum instar, ab accretione non alienae. Pone De functum reliquiss, praeter alios heredes legitimos, duas sorores, quarum altera remotius degit, in loco, vbi fatis cessit soror, & in quo Gerada in moribus. Quid nunc? Posterior Geradam sola occupat, nec quicquam remotoris pars fisco debetur. Potius enim iure fisci, est accrescendi ius, manifestis legum sanctionibus. Traducenda eadem principia mutatis mutandis ad Heergewettam. In Ducat. Magdeburg. vtraque consuetudo obtinet, vti ex *Ord. Polit. Tit. von Erbfaellen*, licet pernoscere.

## CAPVT.

*m*) Gerada peculiaris est hereditas, a reliquis defuncti opibus omnimodo diuersa. Consistit illa in certis rebus, reliqua hereditas in indefinita bonorum quantitate. De illa per testamentum statui potest, de hac secus: vnde ex illa aes alienum defuncti solendum, non ex hac, nisi in sibi-  
dium, reliquarum facultatum.

Aliis heredibus debetur *illa*, aliis *haec*. Hinc inter hanc & illam nulla accretionis reciprocatio. Sed an ipso iure acquiretur Gerada, an adeundo demum? Prius censeo. Est enim Germanici iuris cognate, non Romani. vid. *Geo. Andr. IOACHIM Diffr. de Success. Geradae. Jacob. BORN de Gerada.*

## C A P V T . III.

D E

IVRE ACCRESCENDI IN SUCCESSIONE  
TESTAMENTARIA DIRECTA.

## S. X.

ORIGO IURIS ACCRESCENDI IN HEREDITATIBVS  
QVAE PER TESTAMENTVM DEFERVNTVR.

De origine iuris accrescendi, quod in causa testati obtinet, non una eademque est DD. opinio. Nonnulli enim illud ex Legibus XII. Tabb. sic deducunt, quasi expressis verbis de illo in lege ista cautum, seu ac si speciale quoddam huius legis caput, eius gratia conceptum fuisset; horum in numero sunt *Io. Ant. BELLONIVS de Iure accresc.* *II. 1. & Io. CORASIVS in l. 6. de testam. im-*  
*pub.*; alii illud ex lege Iulia & Papia Poppaea deriuan-  
dum existimant, quod sane mirum, cum haec lex, vti  
infra ostendemus, hoc ius accrescendi pene sustulerit.  
Quia haec quae proferunt argumenta, a multis iam sunt  
refutata, in illis de novo reuelendis, meam prolatus  
opinionem, amplius non immorabor. Optimi quique in-  
terpretes *V. BYNKERSHOEK Ohseru. II. 3. HEINECCIVS ad Leg. Iul. Pap. c. IX.* in eo fere conspirant, de hoc  
iure expressis verbis nihil cautum fuisse in legibus XII.  
Tabb. Alia autem adhuc remanet quaestio, anne leges  
XII. Tab. huic iuri introducendo ansam praebuerint,  
quod omnino affirmandum censeo. Constituerant enim  
Decemviri: PATERFAMILIAS. VTEI. SOPER. FAMILIA.  
PECVNIAQVE. SVOA. LEGASSIT. ITA. IOVS. ESTOD.  
i. e. paterfamilias vti super familia pecuniaque sua legauer-  
rit, ita ius esto; vti hunc textum, suffultus CICERONIS

E

aucto-

auctoritate ad Herenn. I. 13. de Inuent. II. 10. restituit BVR-  
 MANNVS, ad Petronium c. 141. posteriores aei 1Ctos  
 vetere formularum corripuisse existimans. vid Euerard  
 OTTO de Leg. XII. Tabb. c. VIII. Tab. V. Saepius  
 enim contingebat, vt alicui suis heres non esset, nec  
 aedescent agnati, aut si aderant, illis non bene cuperet te-  
 stator. Rara enim fratum gratia, rarissima inter cognati  
 concordia, vt inde TACITVS l. IV. Hist. c. 70. acer-  
 rima proximorum odia esse, pronunciare non dubitet.  
 Si inde testator illis, qui-bene de se erant meriti, quo-  
 que sibi animorum iuxerat concordia, prospicere cupe-  
 ret, leges XII. Tabb. patrifamilias permittunt, legem  
 de familia pecuniaque sua dicere, & vti illam dixerit, ita  
 ius esse constituunt. Sed quid haec ad ius accrescendi in  
 caussa testati? Mox videbimus, cur ista praemittenda esse,  
 necessarium duxi. Vti igitur herede suo deficiente, totam  
 familiam proximo agnato addixerant in caussa intestati  
 Decemuiri, sic etiam iure testamenti familiae emtori totam  
 mancipari oportebat familialm, i. e. omnem testatoris sub-  
 stantiam. Cum enim agnati per leges ad successionem vo-  
 cati erant, contraria lege aequa valida, ius eorum qua-  
 situm euerteretur necesse erat. Hinc effectum est, vt initio,  
 post leges Decemuirales testamenta, vti aliae leges,  
 apud Populum Romanum, in comitiis calatis conderen-  
 tur. Nihil enim tam naturale est, quam vt quidquid,  
 eo, quo colligatum est modo, solvatur. Deinde vero  
 cum res Romanorum augerentur, & testamenta frequen-  
 tius condere inciperent, e re visum est, populum, alias  
 in comitiis calatis congregatum, interueniente mancipa-  
 tione, per septem testes, repraesentatio insignitos cha-  
 raktere, indicare, sanc, non aliud ob finem, quam quia  
 lex consentiente populo facta, non aliter quoque, quam  
 eius consensu, tolli potest. Hoc enim si non admittere-  
 mus,

mus, sufficeret, modo de voluntate testatoris constaret. Recte enim ideo PLINIVS junior, *Defunctorum*, inquit, *voluntatem intellectisse, pro iure est Lib. IV. Ep. 10. L. II.* Ep. 16. & L. V. Ep. 7. Tota autem familia ideo mancipari debebat familiae emtori, quia alias, res non poterat non reduci ad caussam intestati. Si enim partem tantum mancipasset patrifamilias: reliqua pars, ad heredes ab intestato vt transiret, necesse fuisset, iam his non partem, sed totam familiam addixit lex XII. Tabb. Ergo cepissent hi & reliquum. Valide sublata non fuisset Decemvorum sanctio, quod tamen fieri debet, si legi nouae, quam testamentum continet, priori derogandi vis inesse debet. Hic igitur tota res transmutabitur in caussam intestati. Praeterea quoque, lex quae patrifamilias testamenti factionem concederat, sequentem in modum cauerat:  
**PATERFAMILIVS. VTI. SVPER. FAMILIA. PECVNIA.**  
**QVE. SVA. LEGAVERIT. ITA. IVS. ESTO.** Constat autem, quod sub familia omnis testatoris substantia, seu complexus omnium, quae possedit, bonorum, comprehendatur. Ut in caussa intestati, familiam addixerant proximo agnato leges XII. Tabb.; sic etiam in caussa testati, patrifamilias permittunt, legem dicere de familia pecuniaque sua. Generaliter dictum est de **FAMILIA**. Consequens est, vt si legem dicere velit, illam de omni familia dicere debeat, analogia ab agnatis in caussa intestati ducta. Obiiceret Philosophus, si cui permisum est de omni familia legem dicere, multo magis illi permisum erit, hanc de parte eius ferre; qui enim potest plus, potest etiam minus. Sed tenendum, quod Romani sono verborum legum XII. Tabb. sic inhaeserint; vt nemini, ne latum quidem vnguem ab illis recedere, fas esset. Igitur cum haec tam in caussa testati quam intestati de **FAMILIA** i. e. **tota familia loquerentur**, collegerunt inde, vnius pecuniae,  
 E 2 plu-

plures, dissimilibus de caussis heredes esse non posset. Hinc natam esse puto illam ICTORUM, quam nobis POMPONIVS l. 7. de V. S. tradit regulam: *Ius nostrum*, inquit, *non patitur, eundem in paganis & testato & intestato decessisse, earumque rerum naturaliter inter se pugna est, testatus & intestatus.* Iam animadvertente VINNIO in §. 8. Inst. de leg. hac de re praecclare differit CICERO de Invent. II. 21. *Supponitur enim ab heredibus, ait, haec ratio; Vnius pecuniae, plures, dissimilibus de caussis, heredes esse non possunt, nec unquam factum est, ut eiusdem pecuniae alius testamento, alius lege heres esset.* Videlimus igitur, hoc ius accrescendi inter coheredes, ex legis interpretatione a Prudentibus esse introductum, quod rebus deinde iudicatis diurno viu constitit. Sed quid de altero iure accrescendi inter heredes, quod ex voluntatis conjectura deriuatur? Haud paullo inferioris aeu fuisse, putamus cum BACCHIO aliisque, quia & huius, libera iam republica, frequentia occurunt vestigia.

### §. XI.

#### MATA ATQUE VICISSITUDINES IVRIS ACCRESCENDI.

Maximam, vt ita dicam, cladem, huic iuri attulit lex Iulia Caducaria, quin imo, in praecipuis eius capitibus, illud fere aboleuit. Augustus enim rerum potitus, viam ad summam Maiestatem sanguine sibi patefecerat. Consulum adhuc audiebantur nomina, sed illi, quibus, libera sub republica, tellus nunquam vidi maiores, sub Augusto tantum simulacrum veteris illius reipublicae erant. Hinc conqueritur TACITVS: *Annal. L. I. cap. III. eadem magistratum vocabula, nihil usquam prisci & integri moris, cum omnes exuta aequalitate, iussa principis aspectent.* Sed haud contentus libertatem ciuium interuer-  
tisse,

tisse, eorum etiam bonis inhiabat. Hunc in finem haud paucas nouas leges tulit. Has inter etiam est lex **IVLIA ET PAPIA POPPaea**, quam quidem Augustus se ideo ferre finxit, ut vagae Veneri & adulterii frena iniicerentur, vtque de sobole procreanda cogitarent Romani. Sed quis quaeso, qui Augustum nouerit, qui eius cum Liuia matrimonium legerit, hoc figmentum credet, nisi contra sui ipsius scientiam, nubem pro Iunone amplecti malit. Vera enim atque genuina eius ratio, potius in eo querenda est, vt facultates atque bona eriperentur subditis, & ipso fatente **HEINECCIO** qui in *Comment. ad legem Iul. & Pap. Popp.* Augusti praeco exstitit, maximam per hanc legem priuatorum facultatum partem in aerarium migrare oportebat, tot publicatis dotibus, tot constitutis bonorum generibus quasi caducis, caducis, ereptiis vacantibus; tot denique praemiis curiositati delatorum praepositis. Alterum legis Iuliae Papiae caput agebat *de bonis caducis, ereptiis & vacantibus*; iam hoc, vti ab initio §. diximus, arctissimum ius accrescendi circumscripsit limitibus. Quam iniustissimum autem istud praefersum fuerit caput *de caducis*, nemo vñquam maiori cum aestu dixit, quam ipse D. **IMPERATOR IVSTINIANVS**, qui illud a Scythis Getisque, ad quos relegatum erat, ab exilio reuocans, pristinum quoque illi vigorem quem libera habuerat sub republica, iterum concessit. Audiamus igitur Imperatorem, de lege ista differentem, & sufficiat hunc vnum arbitrum dedisse. *I. vn. pr. C. de Cad. toll.* Et nouem & materiam caducorum, inquit ex bellis ortam & auctam ciuilibus, quae in se Populus Romanus mouebat, necessarium duximus, Patres Conscripti, in pacificis nostri imperii temporibus, ab orbe romano recludere, ut quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas sopiret. Et quemadmodum in multis capitulis, lex

Papia, ab anterioribus principibus emendata fuit, & per desuetudinem abolita: ita & a nobis circa caducorum observationem INVIDIOSVM SVVM AMITTAT VIGOREM quid & ipsis prudentissimis viris displicuit, multas inuenientibus vias, per quas caducum non fieret - - - Postea pergit: & cum lex Papia ius antiquum, quod ante eam in omnibus simpliciter versabatur, SVIS MACHINATIONIBVS ET ANGVSTIIS CIRCVMCLVDENS, solis parentibus & liberis testatoris, usque ad tertium gradum, si scripti fuerant heredes, SVVM IMPONERE IVGVM ERVBVIT, ius antiquum eis intactam conservans, nos omnibus nostris subiectis, sine differentia personarum, hoc concedimus.

### §. XII.

VTRVM IUS ACCRESCENDI PER LEGEM CADVCIA RAMTA, AN PRO PARTE TANTVM SVBLATA SIT?

Diximus in §. praeced., ius accrescendi per legem Caduciariam fere sublatum fuisse: sequitur inde, ut non omnis, vti aliquando CVIACIVS Obf. XII. n. Parat. C. de Cad. toll. existimauit, sublata sit. Mutauit tamen & Ipse CVIACIVS postea Obf. XXIV. 34 suam opinionem, adductus sane accuratori locorum, in quibus hac de re disputat PAVLVS, perscrutatione, nemo enim in Digestis hac de materia, illo aut fuit accuratior aut prolixior. Sane si l. 89. ff. de leg. III. & l. 142 ff. de V. S., quae PAVLI sunt, intuemur, maxima cum diligentia in illis exponit ICtus, quomodo tam inter coheredes quam collegatarios, eodem, aut diuerso modo iunctos, ius accrescendi obtineat. Sed ad quid haec omnia? scripsit PAVLVS, lata iam lege Iulia Papia, cur igitur tantam in iure, quod iam antiquitate sua corruerat, explicando, collocavit operam, nisi aliqualis

lis eius vigor adhuc superfluisse. Obiecties forsan, quae  
 VULPIANVS Fragm. T. XXIV. §. 12. dicit: sed post legem  
*Papiam Poppaem, non capientis pars caduca fit.* Quid  
 ad haec? nihil sane faciunt contra thesin meam, et si illam  
 primo intuitu plane euertere videntur. Notes tantum,  
 ICtum de eo loquutum esse, quod ut plurimum siebat,  
 arctissimis enim, per hanc legem, limitibus, circumscri-  
 ptum erat ius accrescendi; adeo ut eius vigor, cum illo,  
 qui ante legem Iuliam Papiam obtinuerat, comparatus,  
 quasi nullus esset considerandus. Quae argumentatio, si  
 cui adhuc videtur insufficiens, adeat *I. vn. pr. C. de Cad.*  
*toll.* vbi IMPERATOR ait: *legem Papiam, parentibus &*  
*liberis testatoris, usque ad tertium gradum, si scripti fue-*  
*rant heredes, SVVM IMPONERE IVGVM ERVBV-*  
*ISSE.* Quid his imperatoris verbis clarus, quid eviden-  
 tius? Audiamus autem hunc ipsum legis caduciariae lo-  
 cum, quem ita restituit HEINECCIUS in *Comm. ad leg.*  
*Iul. & Pap. Popp. III 9.*

*Ante apertas tabulas, aditamque hereditatem, inter  
 coniunctos heredes legatariosue, ius accrescendi in iis,  
 quae caduca vel in causa caduci sunt, excepto usu  
 fructu legato, ne esto.*

Ex his leges Iuliae Caduciariae verbis iam videmus;  
 1) ius accrescendi inter heredes ab intestato, nullo modo  
 per illam circumscriptum fuisse, adeo ut accretio inter  
 hos, eodem quo ante latam legem obtinuerat modo, ad-  
 huc valeret; nec ideo dici possit, per eam immutatum esse  
 principum in XII. Tabb. constitutum: s INTESTATO.  
 MORITVR. CVL. VS. HERES. NEC. ESCIT. AGNATVS.  
 PROXIMVS. FAMILIAM. HABETO. Quam autem liber-  
 tam lex caduciaria intactam reliquerat heredibus ab in-  
 testato succendentibus, hanc arctissimis in heredibus, quos  
 vlti.

ultima testatoris voluntas ad hereditatem vocauit, circumscriptis limitibus; tota enim directa erat ad ius accrescendi, quod in causa testati obtinere diximus. Valde per hanc legem restricta est antiqua illa Quiritum libertas: PATERFAMILIAS. VTEI. SOPEER FAMILIA. PECVNIAQVE. SVOA. LEGASSIT. ITA. IOVS. ESTOD. Ante apertas enim inquit tabulas, aditamque hereditatem, ius accrescendi in iis quae caduca, vel in causa caduci sunt, ne esto. Ne putas, id quod de tabulis apertis diximus, ad caduca tantum aut quasi caduca pertinuisse, vide HEINECIVM l. cit., vbi & reliqua, quae fisco cedebant, non alium casum spectasse inuenies. Ex eodem quoque, quem excitauius, loco, continuo coniicere licet. 2) Legem Caduciariam non pertinuisse ad liberos suos institutos, hi enim nulla egent additione, cum sint ipso iure heredes. Porro 3) eandem nec tetigisse casum testamenti nuncupatiui, in hoc enim opus non erat solenni resignatione, nec poterat quis ante apertas tabulas decedere, modo non morte praeriperetur, antequam adiisset. Plenissimum quoque vigorem 4) post legem Iuliam caduciariam ius accrescendi retinuit, in parentibus atque liberis testatorum, vsque ad tertium gradum, si scripti fuerant heredes, adeo ut in his testamentis portio vacans, siue testatore adhuc viuente, siue illo iam mortuo talis facta erat, coheredi vel collegatario accresceret; eleganter inde inquit IVSTINIANVS l. vn. pr. C. de Cad. toll. quod lex Papia his suum imponere iugum erubuerit. Idem 5) de omnibus quoque dicendum qui liberos habebant, his enim deficientium partes praefisco iure singulari accrescebant. Porro 6) lex Caduciara & tunc exsulabat, vbi post aditam iam ab alterutro coheredum institutorum hereditatem, alter desiceret, tum enim iterum iuri accrescendi locus erat. Nec minus 7) princeps erat lege caduciaria solitus.

tus, ad accretionem quippe semper admittendus, & per eum simul Augusta, ad eadem priuilegia euecta. Sic 8) nec erexitia que eius a fisco fuisse occupata, sed quae-dam cessisse etiam, iure accretionis, coniunctis, iam supra diximus. Denique 9) & pro non scriptis habita, antiquorum ICtorum testimonii filii, accreuiſſe coheredibus, supra adnotauimus. Sic erat ius accrescendi, hosque illi posuerat limites lex Iulia Caduciaria, quum IVSTINIA-NVS, illo ab exilio reuocato, hanc ceu iniustissimam atque iniquam, per *Constitutionem de caducis tollendis*, penitus abrogaret, legem quam belli calamitas extorserat, per pacis lenitatem spondiām esse existimans. Hinc effectum est, vt totum ius accrescendi, quale olim libera sub republ. obtinuit, & eo, quo illud veteribus cognitum fuerat quirib⁹ modo, quasi postliminij iure de nouo introductum, pristinas vires receperit.

### §. XIII.

#### DATVR DUPLEX IUS ACCRESCENDI INTER COHEREDES.

Inter heredes directo scriptos, duplex accretio per leges constituta, quod inde manifestum, cum coheredibus quibusdam solis accrescat, etiamsi non desint alii coheredes, qui possent accrescendi partem ferre, quibusdam autem tum demum acquiratur, si prioris generis coheredes adiecti non exstant. Plana haec sunt *ex l. 63. ff. de her. inst. vbi: Heredes sine partibus, vtrum coniunctim, an separatim scribantur, hoc interest: Quod si quis ex coniunctis deceſſit, hoc NON AD OMNES, SED AD RELIQVOS, qui coniuncti erant, pertinet. Sin autem ex separatis; AD OMNES, qui testamento eodem scripti sunt heredes, portio eius pertinet.* Id indicium diuersitatis saepius in legibus occurrit, nullum

F

prae-

praeterea aliud, vnde argumentum: ii coheredes, qui alii in iure accrescendi praferuntur, diversam ab his exercent accretionem: qui non anteponuntur, diuersum quoque ius non habent.

#### §. XIV.

CONIVNCIO IN EADEM PROPOSITIONE, IN SE NON  
EST FUNDAMENTVM IURIS ACCRESCENDI INTER  
COHEREDES.

Qui solo verborum complexu, & eiusdem propositionis compagine coniuncti, eam solam ob causam, diverso a reliquis accrescendi iure non vntur l. 66 ff. de ber. inst. Si ita quis heredes instituerit. Titius heres esto, Caius & Maeuius aequis partibus heredes sunt, quamvis, ET, SYLLABA, coniunctionem faciat: si quis tamen ex his decedat, non ALTERI SOLI pars accrescit, SED ET OMNIBVS COHEREDIBVS, pro hereditaria portione, quia non tam coniunxisse quam celerius dixisse videtur. Ne putes, sub verbis aequis partibus hic tanquam sub herba latere anguem, adi quaeſo l. 17. ſ. 1. ff. eod. vbi: Si duos ex undecim, duos sine parte ſcriptis, mox unus ex his, qui sine parte fuerunt, repudiauerit: utrum OMNIBVS ſemuncia, an ad SOLVM SINE PARTE ſcriptum pertineat? Et variat, ſed Seruinus omnibus ACCRESCERE ait: Quam ſententiam veriorem puto. Nam quantum ad ius accrescendi, non ſunt coniuncti, qui sine parte instituuntur. Species haec: Caius & Titius heredes ſunto ex undecim vniuersi, Maeuius & Sempronius etiam heredes ſunto. Deficiente Sempronio, ad vacantem ſemunciam Caius, Titius & Maeuius ſimul admittuntur. Sed obiicies, his ita comparatis, quae cepit dementia PAVLVM vt l. 142. ff. de V. S. triplicem coniunctionis modum, in accretione heredum distinguendum,

dum, nobis persuadere velit, scilicet coniunctionem quae fit re tantum, eam quae verbis tantum, & quae fit mixtim? Docemus hoc infra, sufficit nobis hoc loco innuisse, quod dictum sit supra, non ob solam verborum coniunctionem accrescere, de quo casu non loquitur ICTVS. Contradicunt nobis hic omnes, qui heredes verbis tantum coniunctos, licet post mixtim iunctos ponendi sint, tamen re tantum coniunctis semper & ubique antecedere docent, quorum in numero est DVARENVS l. c. L. 2. cap. 7. . qui cap. 13. de nostra l. 66. ff. de Her. Inst. ita philosophatur: *Singularis est haec lex, & non tam docet POMPONIVM negasse, vere verbis tantum coniunctos, re tantum coniunctis praeferri, quam in subiecta specie testatorem coniungere verbis voluisse.* Deinde concludit, in dubio coniungere noluisse prae sumi testatorem, donec ex coniecturis aliud appareat. Ipse suae sententiae praesidium petit a l. 89. ff. de leg. III. vbi: *Praefertur igitur omnimodo ceteris, qui & re & verbis coniunctus est, quodsi re tantum coniunctus sit, constat non esse potiorem.* Si vero verbis quidem coniunctus sit, re autem non quaestio nis est, an coniunctus potior sit, & magis est, ut & ipse praeferratur. Verum hunc PAVLI locum simul cum superiori Eiusdem ICTI infra explicabimus; prius autem, quod ad fert DVARENVS, ita comparatum, vt ultimo nobis accedat, Sufficit ICTVM docere, solam verborum coniunctionem, non videri coniunctionem, scilicet talem, qualis potius prae reliquis ius tribuat. Vnde pro nobis stat CVIACIVS ad l. 142. de V. S. vbi: *Verum est, in casu: Titius & Caius heredes sunt, Sempronius ex dimidia heres esto, duos priores esse re & verbis coniunctos, sed eo effectu tantum, ut coniunctim unam semissim habent, non, ut quoad ius accrescendi coniungantur.* Sed oppugnare nostram sententiam, Ipse videtur IMPERATOR;



quum *l. vn. §. 10. C de Cad. toll.*, rationem redditurus cur in formula: Caius & Titius heredes sunt, Maeuius heres esto, in accretione Caius, deficiente Titio, Maeuio preferatur, quia, inquit, coniuncti quidem propter VNITATEM SERMONIS, quasi in unum corpus redacti sunt, & partem coniunctorum sibi heredum, quasi suam praeoccupant; disiuncti vero ab ipso testatoris SERMONE apertissime sunt discreti; ut suum quidem habeant, alienum non soli appetant, sed cum omnibus suis coheredibus accipiant. Verum salua res est, IVSTINIANVS cum nobis ex asse conuenit. Non ob solam sermonis complexionem, dari ius praecipuum diximus. Hoc ita effert IMPERATOR: propter 1) unitatem sermonis quasi in unum corpus redacti sunt; & 2) partem coniunctorum sibi heredum, quasi suam praeoccupant. In subiecta igitur specie, alia praeterea subest ratio, cur alius aliud praecedat. Id ipsum, quod volumus.

### §. XVI.

INTER HEREDES DATVR IUS ACCRESCENDI VOLVNTARIVM ET NECESSARIVM.

Pone Titium testamentum scripsisse: Caius mihi heres esto ex semisse, Sempronius heres esto ex altero semisse. Deficit Caius. Accrescit Sempronio: nam si Caius plane adpositus non esset, sed Sempronio soli semis relictus; pars nondum exhausta cessisset Sempronio, vt is fieret heres ex asse. *§. 7. l. de hered. infit.*, quia non licet esse pro parte testato. *l. 7. ff. de R. l.* Quae etiam hoc in casu ratio accretionis partis coheredis, qui defecit. *l. 6. ff. de test. milit.* Iam datur praeterea aliud ius accrescendi, vi cuius alius allii preferendus est. Id alia ex causa deriuandum, quia ex ratione *l. 7. ff. de R. l.* doceri nequit, cur unus ad accretionem altero debeat esse propior. Quae ergo caus.

causa? Sermonis coniunctio efficere nequit, in hac enim ad accretionem vis nulla; (§. praeced) attamen praeferuntur nonnulli, quia **CONIVNCTI** sunt, non separati c. l. 63. ff. de hered. *instit.*: Ergo illam coniunctionem subaudiendam oportet, de qua supra **CESVS** l. 80. de leg. **III.** **CONIVNCTIM** heredes *institui*, aut *coniunctim legari*, hoc est, **TOTAM HEREDITATEM AVT TOTA LEGATA SINGULIS DATA ESSE, PARTES AVTEM CONCVRSV FIERI.** Iam patet ratio, cur in specie c. l. 66. de hered. *instit.* **ICTVS** subiunxerit: *testatorem Caium & Maeium non coniunxit esse videri;* scilicet quia dixerat: *Caius & Maeius heredes junto AEQVIS PARTIBVS,* sive ab initio singulis partes adiecerat Item nunc in promptu est, quid **IVSTINIANVS** l. *vn* §. 10. **C. de Cad. toll.** sibi velit, quum rationem praecessioneis quorundam heredum prae aliis redditurus addit: *partem coniunctorum sibi heredum, quasi suam, praeoccupant,* i. e. adsignatum sibi directo testatoris consilio solidum, sed concursu tantum alterius delibatum, obstaculo remoto, totum sibi vindicant. Eiusdem ita dedimus, non nisi duplex esse ius accrescendi inter heredes: *alterum*, quod ex regula l. 7. ff. de **R. I.** proficitur; *alterum*, quod mentis testatoris conjectuae innititur, quum solidum alteri ex intentione directa defuncti competens per alterum nunc deficientem, fuisset diminutum, i. e. ius accrescendi *necessarium & voluntarium* (§. IV.).

### §. XVII.

**IVRI ACCRESCENDI NECESSARIO QVANDO LOCVS,  
ET QVAE EIVS NATURA.**

Ius accrescendi necessarium inter heredes est, quoties non est, qui praeferatur. Nam haec unica discriminis no-

¶ e 3

ta, antecessio (§. XIII.). Iam coniunctio propria & accretio voluntaria tribuit antecessionem, per l. 63. ff. de her. inst. Ergo horum omnium, qui sibi non praeseruntur, ius accrescendi, a necessaria accretione nihil distat. Natura iuris accrescendi necessarii, ut in subsidium demum voluntarii admittatur. A solo legis praecepto nascitur, quod etiam CAIVS l. 5. de Vulg. & Pup. Subst. innuisse videtur, dum ait: *eum, qui ex parte heres est, partem alterius per LEGEM vindicare.* Digladiantur interperes, qualis lex hic subaudienda sit, an Lex Decemuiralis, an Lex Iulia & Pappia. Mea parum interest. Sufficit nec hanc iustulisse principium, *quod nemo ex parte testatus esse queat.* A testatore inhiberi nequit ob l. 55. de leg. I. In iuris obtingit (§. IV. n. c.). Partes certas, diuersissimis orationis sectionibus, cuique diserte adscriptas, non curat.

### §. XVIII.

#### CASVS IVRIS ACCRESCENDI NECESSARII SPECIA LIVS DETERMINATI.

Ius accrescendi necessarium statuendum 1) si, non nisi ex certa parte, coniunctione reliquorum coheredum, non diminuta, scripti heredes, existent, & quidam deficiant. 2) Si omnibus coheredibus diuersis positionibus addiectae partes certae, at tales, quales haereditatis assem superant, adeo ut omnibus pro parte hereditaria decrescere debeat. 3) Si plures heredes non adiectis partibus, diuersis orationis segmentibus vocati sint. 4) Si iudem omnes, non additis portionibus, in eodem sermonis nexu dicti. 5) Si quidam in eadem propositione, non tamen in separata hereditatis parte, quidam in diuersis propositionibus nominati, sed prioribus adiectae sunt partes, posterioribus secus. Hoc enim in casu, si quidam priorum deficiant, non reliquis eius positionis solis, sed simul

simul & iis, qui in diversis orationis partibus scripti, accrescit.  
 6) Si eodem casu etiam posterioribus adiectae sunt partes, ita tamen, ut partes omnium simul, a sem non superent, sed integra dari possit, omnibus quoque hereditatem cernentibus, cuius destinata sibi a testatore portio.  
 7) Si quidam in eadem propositione, aut diuersis, non adiectis partibus scripti, quidam in certis partibus, tunc enim priores posterioribus nunquam praferuntur *l. 17.*  
*§. 1. ff. de her. instit.* 8) Si quidam in separatam hereditatis partem, siue in eadem, siue in diuersis propositionibus, adiectis partibus vocati, quidam ad eandem partem vocati non sunt, tunc enim illi, his neutiquam anteponendi. 9) Si admixiti quidem nonnulli, qui inter se arcuus conglutinati, & praeferti in accretione essent, hi autem deficiunt omnes, adeo ut non superfint, nisi tales, inter quos remissior est connexio. Res demonstratione non eget, si superiora ad animum reuocaueris. In quoquis horum casuum deest ratio, cur alter alterum anteire debeat.

### §. XIX.

#### EASVS IVRIS ACCRESCENDI VOLUNTARII.

Ius accrescendi voluntarium locum habet. 1) Si plures heredes sine partibus vocati, quidam tamen in eadem propositione, quidam in diuersis, hic enim priores ante posteriores sunt. 2) Si quidam coheredes in eandem hereditatis partem separatam, siue in eadem siue in diuersis propositionibus, non adiectis partibus vocati, quidam autem in eandem partem vocati non sunt, siue ipsis quoque adiectae sint partes, siue secus, nam priores semper praecedunt posterioribus. 3) Si omnibus coheredibus adiectae partes, omnes tamen simul a sem superant,

rant, praeterea autem quidam in eadem propositione, quidam in diuersis positi sunt, tunc enim illi, his praeferuntur, donec solidum, ipsis testatoris directa voluntate destinatum, fuerit repletum, hoc autem suppleto; & reliquis, quantum satis est, redintegratur, quod defuit, & denique si quid superfit, hoc omnes pro hereditaria parte simul capiunt. 4) Si quidam coheredum, nomine collectivo vocentur, hi enim semper, & ubique reliquis, etiam coniunctissimis, praeferuntur.

### §. XX.

#### E X E M P L A.

1) Titius heres esto ex triente, Caius heres esto ex triente; aut: Titius, Caius & Maeuius, quiuis ex triente, (aequis partibus) heredes sunto. Quisquis horum trium defecerit: duo reliqui simul accretione gaudent.

2) Titius heres esto ex semisse, Caius h. e. ex semisse, Maeuius quoque h. e. ex semisse. Idem hic repetendum, quod priori in specie.

3) Titius h. e., Caius h. e., Maeuius etiam h. e. Eadem hic decisio quae antea.

4) Titius, Caius & Maeuius heredes mihi sunto. Nil distat haec species in accretione a prioribus.

5) Caius & Titius heredes mihi sunto aequis partibus, Maeuius quoque heres esto. Hic deficiente Caio, Titius & Maeuius in accretione aequi iuris sunt. l. 66.  
de her. inst.

6) Caius

6) Caius & Titius heredes sunt aequis partibus, Maeuius ex semisse; h. e. aut: Caius & Titius heredes sunt quaternis partibus, Maeuius ex semisse h. e. Titio deficiente, Caius & Maeuius ad portionem vacantem iunctim admittendi per l. c.

7) Titius heres esto ex semisse, Caius h. e., Maeuius h. e. aut: Titius h. e. ex semisse, Caius Maeuiusque heredes sunt. Hic deficiente Caio, Titius & Maeuius in accretione eiusdem habendi conditionis. Obstat hic vere PAVLVS l. 142 ff. de V. S. vbi ita: *Publius Maeuius, Lucius Titius heredes sunt, Sempronius ex parte dimidia heres esto: ut Titius & Maeuius veniant in partem dimidiad, & re & verbis CONIVNCTI videantur.* Licet enim, quod CVIACIVS ad h. l. notauit, ICTO hic proprie cum iure accrescendi nihil sit negotii, sed tantum cum numero portionum, cuius debitarum, in-eundo; tamem fatemur facile, eum qui semel pro coniuncto habetur, deberi etiam vbique eundem haberi. Sed nil valet hic locus contra l. 17. s. 1. ff. de her. inst. quia huius directa sententia de iure accrescendi, illius au-tem de numerandis partibus hereditariis. Licet ordinario, sicut computantur partes, ita & iuri accrescendi lo-cus sit, tamen haec regula non est sine exceptione. Ex-ceptio eiusmodi est in specie a PAVLO interiecta. Eam admittendam esse non negauit ICTVS, sed totam rem per silentium praeteriit. Industriae omnino & acumin Pauliano conuenisset, vt hanc exceptionem non tacitus praeterueheret. Sed potuit facile eius diligentiam subter-fugere res, a proprio & directo eius consilio quodam-modo aliena.

G

8) Ti-

\* \* \*

8) Titius & Caius ex semisse aequis partibus heredes sunt, Maeuius ex altera semisse heres esto, aut: Titius vnius semissis hereditatis meae partem dimidiam habeto, Caius eiusdem semissis alteram partem dimidiam habeo, Maeuius habeo semissim reliquam. Vtroque casu, deficiente Titio, Caii & Maeuii simul est accretio, per cit. l. 66. de her. inst.

9) Titius & Maeuius heredes sunt, Caius h. e. Sempronius h. e. Hic, si solus Titius deficeret, Maeuius circa ius accrescendi omnino reliquis preeponeretur; sed ponimus, Maeuium etiam deficere: nunc Caio & Sempronio aequo iure accrescent defientium partes.

1) Titius & Caius heredes sunt, Maeuius heres esto. Hic, deficiente Titio, soli accrescit Caio, l. 63. ff. de her. inst.

2) Titius & Caius heredes sunt ex semisse, Maeuius h. e. aut: Titius h. e. ex semisse, Caius heres esto ex eadem semisse, Maeuius h. e. aut: Titius & Caius heredes sunt ex semisse Maeuius h. e. ex altera semisse, aut, Titius h. e. ex semisse, Caius h. e. ex eadem semisse, Maeuius h. e. ex semisse altera. l. 141. de V. S. vbi: *Nec dubium est, quin CONIVNCTI sint (propius) quos & nominum & rei complexus iungit, veluti: TITIVS ET MAEVIVS EX PARTE DIMIDIA HEREDES SVNTO --- vel: TITIVS CVM MAEVIO EX PARTE DIMIDIA HEREDES SVNTO.* Videamus autem ne si hos articulos detrahas: Et, Que, Cum, interdum tamen CONIVNCROS accipi oporteat. Veluti: *Lucius Titius, Publius Maeuius ex PARTE DIMIDIA HEREDES SVNTO.* --- vt Titius & Maeuius veniant in partem dimidiā,

eg

& re & verbis CONIVNCTI videantur. LVCIVS TITIVS EX PARTE DIMIDIA HERES ESTO, SEIVS EX PARTE, QVA LVCIVM TITIVM INSTITVI, HERES ESTO, SEMPRONIVS EX PARTE DIMIDIA HERES ESTO. IVLIANVS, dubitari posse, tres semisses facti sunt, an Titius in eundem semissim cum Caio Seio institutus sit. Sed eo, quod Sempronius quoque ex parte dimidia scriptus est, verosimilius esse, in eundem semissim duos coactos, & CONIVNCTIM heredes scriptos esse. Verum est, quod supra diximus cum CVIACIO, PAVLO hic de iure accrescendi sermonem proprie non esse, sed tantum de numerandis heredum portionibus. Cum tamen, qui semel pro CONIVNCTIS habentur, non possint iterum alio tempore disiuncti haberi: nihil puto ineptum nos egisse, qui ex hac lege praesidium nobis duximus.

3) Titius & Caius heredes sunt quaternis partibus, Maeuius h. e. ex semisse, Sempronius h. e. ex semisse. Hic, quia partes assēm superant: si nemo deficeret, hereditas in trientes esset diuidenda, quorum vnu Sempronio, alter Maeuius dandus, tertius iterum ad duas partes aequales, sicque sextantes reuocandus, quorum vnu ad Titium, alter ad Caium perueniret. Sed iam deficit Titius. Quaeritur cui accrefcat sextans Respondeo: Vnam inde vnciam praecipit Caius, vt habeat quadrantem, directa testatoris voluntate sibi destinatum. Remaneat ex sextante altera adhuc vncia; haec aequis partibus distribuenda inter Sempronium & Maeuium. Habebit nunc ergo Caius quadrantem, Sempronius autem & Maeuius, singuli, habebunt trientem & semunciam. Siccine ex tripode respondes? Sic, inquam, absque numine. Nam ita ferunt iuris accrescendi rationes. Hi, qui 1) propter unitatem sermonis quasi in vnum corpus redacti sunt,

¶¶¶¶¶

& 2) partem coniunctorum sibi heredum, quasi suam praeoccupant, aliis in iure accrescendi sunt potiores *l. vn. §. 10. C. de Cad. toll.* Vtrumque accedit Caio. In eadem sermonis coniunctione est cum Titio. Quando hic ad hereditatem simul adspirat, Caii quadrans ad sextam deprimitur. Hinc admittitur ei portio quaedam sua. Iustum est ut solamen habeat. Sed, vncia decerpta, habet quadrantem. Iam restitutus est iure postliminii. Aequum est, ut nuac reliquis a semisse ad trientem redactis, dispendium suum quodammodo resarcatur. Vnde vncia, velut offa. Huc spectat *PAVLVS l. 142. ff. de V. S. vbi: Triplici modo, inquit, coniunctio intelligitur, aut enim re, per se, coniunctio coningit, aut re & verbis, aut verbis tantum, & l. 89. ff. de Leg. III. de qua §. XIV.* Hae leges necessario de nostra specie explicandae, nisi manifestum statuere velis inter leges dissidium, quod tolerare, nulla iam ratio vrget. Verbum est: Quae non profundunt singula, iuncta iuvant. Hoc ad rem nostram apprime congruum. Vides *IVSTINIANVM id ipsum exigere.* 4) Titius & fratraris mei liberi heredes mihi sunt, Maeuius heres esto. Deficit quidam ex fratratis liberis, reliqui eius vacantem portionem occupant, non Titius aut Maeuius. Nam portio, nostra in specie quadrans, quae fratraris liberis cedit, non vni aut alteri speciatim ex fratratis liberis data, sed simul, adeo ut quamdiu adest, qui ad fratratis liberos referri possit, hunc expresse vocet in quadrante testator, vnde nil cedit reliquis vid. *DVARENVS L. 2. C. 9.*

§. XXI.

## §. XXI.

EVRIS ACCRESCENDI VOLUNTARII INTER HE-  
REDES INDOLES.

Pone in testamento ita scriptum esse: *Titius & Caius mihi heredes funto, Maeuius heres esto; aut, Titius Caius & Sempronius heredes funto ex dodrante, Maeuius ex quadrante, vtroque casu adiecta clausula: ita tamen, ut si quis horum defecerit, nemo in accretione potior sit.* Quid fecit? Prohibuit ius accrescendi voluntarium. Iam pone Titium deficere, cui accrescat? Caio & Maeuio priori in specie, Caio Maeuio & Sempronio in posteriori. Qui sic? Ita vult testator? Sed potestne velle? Quidni posset, quum inde non fiat testatus ex parte: nam totus adhuc hereditatis as, penes heredes institutos manet? Ergo ius accrescendi voluntarium inter heredes potest prohiberi. Eodem modo in aprico est, ius accrescendi voluntarium posse quoque, etiam si testator nihil dixerit, repudiari. Pone priori in casu, cum clausula prohibendi addita non esset, Titium deficere; Caius recusat integrum eius partem vacantem occupare. Quid tum? Maeuium pro parte hereditaria simul ad accretionem accedere oportebit. Vides non oriri caussam testati particularem, quae sola est ratio, cur euitari nequeat accretio inter heredes. Requirit istud voluntariae accretionis inter heredes genus, coniunctionem propriam, ut docuimus praecedentibus, (§. XVI.) & coniectura mentis testatoris, nullo legis precepto, subnititur. Attamen in hoc non minus, quam in iure accrescendi necessario, onus portioni adiectum ordinario ad coheredem, cui accrescit, simul transcendent. *I. vn. §. 10. C. de Cad. toll.* Ergo vides, hic omnia eodem fere modo comparata esse, quo accretio inter legatarios, nisi quod onus nunquam fere abscedat, quod in legatis secus.

G 3

CA.

## C A P V T IV.

## §. XXII.

## DE IURE ACCRESCENDI IN LEGITIMA.

An ius accrescendi locum habeat in legitima, & quo pacto, non vna est Interpretum opinio. Alii distinguunt inter iuste exheredatum, & iure suo vti nolentem, ut SCHILTER Exerc. 10. tb. 32., priorem pro mortuo habent, vnde hunc spectant quasi eum, qui non existisset, posteriorem vero connumerant, quasi qui legitimae simul particeps esset. Alii etiam iuste exheredatum in numero habent, vt BERLICH. P.3. Dec. 3. n. 7. seq. NOODT ad tit. ff. inoff. testam. COCCEII Iur. Controu. ad eund. tit. Quaest. 18. HVBER ad tit. cit. num. 14. Alii partem quidem facere exheredatum, vt alio modo ad legitimam non admissum eum, cui haec ordinario debetur, attamen in definendo aut triente, aut semisse legitimae, pro mortuo habendum esse, contendunt, vt DVARENVS Lib. 1. c. 13. Alii ad legitimam exigendam non admissos eos, quibus alias talis debetur, simpliciter pro mortuis habent, & nullis, vt sunt Monachi Franciscani, ceu ingenii luxuriantur Pragmatici apud HVBERVM l. c. Optima omnino est secunda sententia, ex natura Legitimae. Legitima est vel triens vel semis portionis ab intestato debitate. l. 2. C. de Inoff. donat. l. 8. §. 6. ff. de inoff. testam. l. 8. pr. l. 31. C. eod. Iam pone exemplum istud HVBERI: Paterfamilias fecerat vxorem heredem, matrem ex legitima: sorores tres praeterierat. Quaeritur an matri triens totius hereditatis, an vncia tantum ex hereditate, seu, quod idem est, quarta pars triensis, tribuenda sit? Posterior statuendum. Etenim ab intestato matri obuenisset hereditatis quadrans, quippe in capita successura cum tribus sororibus, Quadrantis tertia pars est vncia. Ergo mater laesa non est

in legitima, quum vnciam habet. Sed pone, eundem patremfamilias instituisse vxorem heredem, matrem & tres sorores praeteriisse. Quae erit institutarum, matris & sororum legitima? Puta, testator in aere habuit 50000 thal. Sufficitne huius summae trientem dedisse institutis in legitima, scilicet  $16666\frac{2}{3}$  thal., an semis deputandus est legitimae, ita tamen, ut eius quinta pars, quae alias praeteritae sorori quartae cessisset, si praeterita non fuisset, detrahatur, & vxori heredi accrescat? Puta ex facultatibus defuncti, quae 50000. thal. erant, semis est 25000. thal.; ab hac summa deducta parte quinta, remanent 20000. thal.: haec summa iam est legitima, institutis, matri & sororibus, tribuenda. Hoc posterius legibus omnino conformius, modo consideres id, quod de legitimae natura diximus. Res expedita est ex l. 8. §. 8. de Inoff. testam. Quoniam autem quarta debitae portionis sufficit ad excludendam querelam: videndum erit an exheredatis PARTEM FACIAT, qui non queritur. Vtputa, fenus duo filii exheredati. Et VTI-QVE, ut PAPINIANVS respondit, &c., si dicam, inofficium, non totam hereditatem debo, sed dimidiam petere. Proinde si sunt ex duobus filiis nepotes: ex uno plures, tres puta: ex uno, unus: unicum, fescuncia, unum, ex illis, semuncia querela excludit. Species posterior haec: Caius duos relinquit filios. Cuius horum ab intestato cederet semis hereditatis. Iam alter eorum, tribus superstitibus filiis, ante patrem supremum diem obiit. Horum cuius ab intestato capiendus sextans hereditatis. Alter decepsit, vnico reliquo filio, in quem ergo semis paternus deriuatur. Quarta semissis huic debiti ab intestato, est eius portio legitima, quarta autem semissis est fescuncia, vnde illum fescuncia a querela excludit, licet sint adhuc ex alio auunculo liberi, qui exheredati &c., hoc enim ad ipsum non spectat. Res inter alios gesta. Sextantis quarta pars est semuncia. Vnde pl.

planum, cur nepotum ex priore filio trium quemuis semuncia excludat. En ad verbum nostra repetita principia. Non igitur pro mortuis habentur ii, qui legitima excidunt, aut semper, aut quando iuste exhereditati, sed semper numerantur, etiam in constituendo aut semife, aut triente legitimae. Ius antiquum ignorant, qui obiectant l. 1. §. 5 ff. de Coniung. cum emancip liberis & l. 10. §. 4. de B. P. contra Tabb. Prior ita: Sed & si patruis eorum, qui erant in potestate sit praeteritus pater exheredatus: debent nepotes admitti. Nam EXHEREDATVS PATER EORVM PRO MORTVO HABETVR. Posterior sic: LIBERI QVI CONTRA TABVLAS HABERE NON POSSVNT, NEC PARTEM FACIVNT, si per alios committatur edictum. Quo enim bonum est iis sauere, nihil habituris. Inde tela: Exheredatus pro mortuo habetur. Idem, qui contra tabulas (actionem) habere non possunt, nec partem faciunt i. e. nec connumerantur. Sed haec omnia nihil ad nos. Species in lege priori haec: Paterfamilias ex duobus filiis, in ipsius potestate constitutis, alterum emancipauit, alterum sub paterno imperio retinuit, simulque nepotes ex emancipato. Mortuus est, & in testamento, quod condidit, filius sub potestate rentus, & nepotes ex altero filio emancipato etiam sub iure paterno seruati, inueniuntur praeteriti, emancipatus filius exheredatus. Petunt illi, quos praeterit, bonorum possessionem contra tabulas. Exheredato eandem petendi nulla licentia, quia contra tabulas bonorum possesso peti nequit, nisi a praeteritis. Exheredatis enim querala officiosi prodata; vnde repugnans, exheredatum esse, & contra tabulas B. P. petere. Quam absconum igitur foret numerare eum in instituenda aliqua actione, qui cum haec comparatus, nullus est, & cuius intermixio naturae plane iudicii contraria esset. Alia plane circa legitimam ratio.

Hic

Hic, ille qui exclusus est, tamen e diametro legitimae oppositus non est. Manet semper talis, cui proprie debita fuisset legitima, talis qui per l. 8. §. 8. ff. de inoff. testam. numerandus; aliud plane rerum genus, quam id, de quo agit l. 1. §. 5. de Coniug. cum emancip. liber.: Legis 10. §. 5. de B. P. cont. Tabb., si rite calculum ponas eadem species, quae in lege superiori, vnde non opus iam dicta repetere.

## CAP V.

DE

IVRE ACCRESCENDI IN SVBSTITVTIONE  
PVPILLARI.

## §. XXII.

INTERCEDIT IUS ACCRESCENDI INTER COHEREDEM IMPV-  
BERIS, CVI IS PVPILLARITER SVBSTITVTVS, ET IMPV-  
BEREM IN IMPVBERTATE DECEDENTEM.

Qui coheres impuberi filio testatoris datur, & huic pupillariter substitutus est, is, postquam semel adiit suam partem, necessarium habet ius accrescendi, in portionem impuberis & pupilli facultates, si contingat, hunc immatura morte in impubertate oppetere. l. 20. C. de iur. delib.: Si impuberem quis filium suum heredem ex parte instituit, & quendam extraneum in aliam partem, quem pupillariter substituit: & postquam testator decepsit, pupillus quidem patri eius heres exsstitit, extraneus autem hereditatem adiit: & postea adhuc in prima aetate pupillus constitutus, ab hac luce subtractus est, & pupillaris substitutione locum sibi vindicauit. Cumque substitutus eandem partem admittere noluit, quaesitum est, si potest, iam heres ex principali testamento factus, pupillarem substitutionem repudia-

H

re.



re. — — — Placuit nobis, siue in institutione, siue in pupilli-  
ri substitutione, ut vel omnia admittantur, vel omnia repu-  
dientur. l. 59 ff. de acqu. hered. Qui patri heres exstitit, si  
idem filio impuberi substitutus est, non potest hereditatem eius  
praetermittere. Quod sic recipiendum est, etiam si viuo pu-  
pillo mortuus erit, deinde pupillus impubes deceperit. Hic  
vere subesse ius accrescendi, non aliquod substitutionis, pa-  
lam est ex ultima posterioris legis clausula, quae tribuit ius  
ex secundis tabulis capiendi etiam iis, qui ante pupillum vi-  
tam cum morte commutauerint, id, quod nulli vnam  
contingit aut instituto, aut substituto. Pone enim, substitu-  
tum pupillarem, pupillo non simul esse coheredem datum,  
& ante pupillum emori; non succedet ipsi pupillariter. Pa-  
ter enim condidit filio testamentum, quod eiusdem effectus  
est, ac si pupillus sibi ipsi condidisset. Iam nemo qui sibi  
scripsit testamentum, heredem habet, qui ante ipsum iam  
mortuus sit. Inde nec pupillus. Accrescit vero nostra in  
specie coheredi, patris & filii hereditas simul, quia per id  
ipsum, quod filius heres patris factus est, vtraque hereditas  
ita confusa, ut totum filii sit, quidquid is, intra impuberta-  
tem vita defunctus, post se reliquerit.

### §. XXIII.

HIC TAMEN INTERDV M ACCRESCIT COHEREDI, QVI SVAM  
HEREDITATIS PARTEM, AVT PLANE NON ADIIT, AVT  
SALTIM IN EA HERES ESSE DESIET.

Licet vero inter coheredem impuberis, huic simul pu-  
pilleriter substitutum, & impuberem vera accretio, etiam  
vbi pupillariter succeditur, intercedat; tamen est illud hic  
singulare, quod is, qui in sua institutionis parte, aut plane  
defecit, aut saltim heres esse desit, tamen ad pupillarem he-  
reditatem adspiceret, non obstat l. 3. de Vulg. & Pup. Subst.


Sic

Sic enim 1) is, qui clam de restituenda incapaci hereditate fidem dedit, licet ipsi non accrescat, l. 83. ff. de *Acquir. hered.* n<sup>o</sup>) tamen pupillari hereditate potitur l. 43. §. 3. ff. de *Vulg. & Pup. Subst. Iulius Longinus pater, eos, quos sibi heredes instituerat, filio ita substituit, quisquis sibi heres esset.* *Vnus ex heredibus institutis, qui tacitam fidem accommodauerat, vt non capienti partem ex eo, quod accep- rat, daret; ad substitutionem impuberis admissus, utrum pro ea parte, pro qua scriptus fuit, veniat: auero pro ea, quam cepit ita, vt augeatur eius pars in substitutione?* Re- spondi: qui in fraudem legum fidem accommodat, adeundo heres efficitur, nec definit heres esse, licet res, quae reliqua sunt, auferantur. *Vnde & ex secundis tabulis in tantum heres esse potest, in quantum scriptus esset: satis enim puni- tis est in eo, in quo facit contra leges.* Quin imo, et si definieret heres esse, idem dicere. Ad hanc legem duo noto. Primum est: videri hanc legem repugnare iis, quae supra diximus, eum qui tacite fidem accommodat de restituenda hereditate non capienti, heredem non esse, sed praedonem; cum e contrario haec aperte pronunciet: *Qui in fraudem legum fidem accommodat, adeundo heres efficitur, nec definit heres esse, licet res, quae reliqua sunt, auferantur.* Verum, vt taceam, hanc legem loqui de eo, qui ob tacitam fidem, parte tantum eius, quod ex institutione habuit, non toto, mul- tatus est, sicque eo, qui, minutiori licet ex parte, tamen vere heres adhuc mansit; ipse ICTVS non adeo multum confidit iis, quae pro auctoritate antea edixerat: addit enim: *Quin imo, et si definieret heres esse, idem dicere.* Alterum est: hanc legem non producendam ad omnes, quibus vt indignis lucrum, ex institutione oriundum eripitur, ita scili-

H 2


cet,

a) Hac in lege C VIACIO suafore, muta *eam* in *an*, quod, hic ar- chaismi species.



cer, ut hos omnes tamen ad tabulas pupillares velis admittere, id, quod quosdam interpretes facere video. Qui clandestinam fidem accommodat, ea tantum parte subuertitur, qua accommodauit, non toto, quod destinatum ipsi fuit, lucro, ut ex nostra lege vides. Institutus maiori ex parte, suboratus, vt minorem accepti partem alii in idoneo redderet, hanc minoris tantum poenam dederat, reliqua parte seruata. Idem de reliquis indignitatis caussis dici nequit; in his enim totius hereditatis iactura sit, vbi poenam merueris. Vnde hic cessat restricta, quae ibi fit, interpretatio. 2) Is qui per querelam inofficiosi, contra se motam, heres esse desit, adhuc pupillaria bona capit l. 31 pr. §. 1. de Vulg. & Pup. Subst. In substitutione filio ita facta: *Quisquis mihi ex supra scriptis heres erit, idem filio heres esto.* Quæritur, quisquis heres quandoque fuerit, intelligatur: an, quisquis heres tum erit, cum filius moriatur. Placuit prudentibus, si quandoque heres fuisset. Quamuis enim viuo pupillo heres esse desisset, forte ex causa de inofficio, quae pro parte mota est: futurum tamen eum heredem ex substitutione creditum est. §. 1. Non simil modo in hac specie dicendum est, si quis, cum filios duos haberet, Caium puberem, Lucium impuberem, ita filio substituisse: Si Lucius filius meus impubes decesserit, neque mihi Caius filius heres erit, tunc Seius heres esto: Nam ita prudentes interpretati sunt, ut ad impuberis mortem conditio substitutionis effet referenda. Legis cardo in hoc omnis vertitur, non requiri a coherede instituto, ad pupillarem hereditatem nancendam, vt, coheres pupilli manserit, nisi aliud voluisse testatorem, ex verbis eius coniicare liceat. De regula cape principium, de limite addito §. pri-  
mum. Ad regulam illustrandam adfertur is, contra quem querela inofficiosi pro parte mota est. Is heres esse desit, & tamen substitutionis pupillaris exsors factus non est. Cur ex parte querela moto sit, oportet? Quia alias iure antiquo to-  
tum

tum testamentum, & sic pupillare quoque, quod est pars testamenti paterni, pessimum datum fuisse. Reliqua statim interpretabimur, si 3) dixerimus, eum quoque, qui coheres pupillo datus, heres existit, postea maximam capitis diminutionem passus, esse desit, denique restitus fuit, tempore, quo impubes vita functus est, ad substitutionem admitti. Sic l. 43. §. in fin de Vulg. & Pup. Subst. Quemadmodum intelligendum est in eo, qui cum scriptus esset heres, postquam adiisset hereditatem, in servitutem redactus est, & postea libertate donatus. Cui permissum est, ad substitutionem venire, quae ei in testamento fuerat relicta, licet enim hereditatem ex institutione amisit tamen & substitutione istam portionem, quantum amisit perceptum. Iam pone Caium puberem, Lucium impuberem, filios coheredes institutos, simulque Caium pupillaribus tabulis vocatum, sed ita: *Si Lucius filius meus impubes decesserit, neque nibi Caius filius heres erit, tunc Seius heres esto.* Hac in specie si ponas, Caium initio heredem factum, deinde vero in servitutem redactum, denique libertate donatum esse eo tempore, quo fratrem impuberem vita destituit, an adhuc admittetur ad substitutionem, an vero Seius? Respondet IVLIANVS l. 31. §. 1. de Vulg. & Pup. Subst.: Ita prudentes interpretati sunt, ut ad impuberis mortem. conditio substitutionis esset referenda i. e. Caium excludi, Seium admitti. Verba enim testatoris ita structa, ut appareat, eum voluisse hoc praecepue, ut Caius tempore mortis impuberis, sibi adhuc heres sit. Quin potest 4) Coheredes pupillo adpositus, simulque huic secundis tabulis substitutus, partem ex institutione sibi datum omittere, (modo testamentum non reddatur destitutum, sed adsit cui accrescat) & ex substitutione adire. l. 27. §. 2. ad SClum Trebell.: Si (coheres impuberis Titius) — — substitutus ita fuerit: *Titius filio*



filio meo heres esto: tum si solus patri heres extiterit, nihilominus cogendus erit, hereditatem pupilli restituere: si vero coheredem habuerit, retinebit pupilli hereditatem, **QVIA POTVIT COHEREDE ADEVNTE QVAMVIS IPSE PATRIS OMISISSET HEREDITATEM EX SVBSTITVTIONE ADIRE.** Secus est, si pater dixerit: *Quisquis mibi heres erit, idem filio meo heres esto:* de qua specie intelligenda prior pars cit. *Si.*, tunc enim non potest omittre hereditatem patris, qui optat hereditatem filii, ex probabili mente testatoris. Quidquid huc usque de pupillari substitutione diximus, valet quoque de quasi pupillari o).

#### §. XXIV.

**QVOMODO PLVRIBVS PVPILLI COHEREDIBVS EX PRIMIS TABVLIS, EX SECUNDIS ACCRESCAT, ET QVOMODO EX PRIMIS TABVLIS NON COHEREDIBVS.**

Qui coheredes dati impuberi vel quasi impuberi, simulque huic pupillariter vel quasi pupillariter substituti, omnes, nullo eorum alteri quoconque ex capite praefendo, attamen pro ea tantum parte; qua ad institutionem vocati sunt, ex tabulis secundis capiunt. Prius fert natura substitutionis, de qua infra; posterius patet per leges *J. praecl.* Quodsi vero coheredes simul dati non sint, eodem modo de iure accresendi inter ipsos statuendum, quo de directa heredum institutione supra docuimus. Cap. III. Etenim hic nihil aliud subest, quam directa institutio; parens enim filio condit testamentum, quod hac in causa idem est, ac si ipse filius condidisset.

#### §. XXV.

• Generatim obseruant interpres, licet a pupillari substitutione ad quasi pupillarem tuto ducent argumentum, nisi in hac vel illa re speciatim ab hac regula recessisse IMPERATOR doceri possit. Is enim hanc voluit esse zemulam illius,

## §. XXV.

SPECIES: SE SVESTITVTVS VVLGARIS ET PUPILLARIS COM-  
CVRRANT, AVT VNVS IDEM QVE DVOBVS IMPUBERIEVS  
PUPILLARITER SVBSTITVTVS SIT.

Titius facto testamento, impuberi vel quasi substituit Caium vulgariter, Maeuium pupillariter vel quasi; Maeuius ante impuberem e vita migrat. Num pupillares facultates Caio accrescent, si postea impubes vel quasi, in impubertate aut mentis alienatione, decedat? Sic censeo. Licer forsan nonnullis secus videatur. Verum est, pupillarem tacitum sub vulgari expressa non comprehendi, nisi ex voluntate opinata testatoris, quam destruit mens contraria, manifesto declarata, id quod nostra in specie contigisse videtur, cum Maeuius pupillariter substitutus sit. Ast nonne probabile, si Titius Maeuium ante impuberem satis auocatum iri praeuidisset, Caium, cui bene cupiuit substitutione vulgari, quam heredes impuberis ab intestato, huic succedere maluisse? Alia species: Titius duos filios impuberes heredes reliquis, vtrique Caium pupillariter substituit. Vterque in eodem vitae periculo extinctus est, vt vter prior, vter posterior spiritum emiserit, vix dici possit. Quaeritur vtrum substitutus vtriusque hereditatem necessario cernere teneatur, an vero possit relictum ab altero adire, alterius hereditate omissa & insuper habita? Posterius opinor, duae enim hic sunt hereditates, duo testamenta, quorum neutrum accessio alterius, sed quorum vtrumque suis viribus stat caditque. Ex duobus testamentis a se diuersissimis nulla accretio l. 16. ff. quib. mod. usus. vel vs. amitt. Si tamen vtramque hereditatem substitutus adierit, non duplarem sed unicam Falciat detrahit. l. 14. §. 2. de Vulg. & Pup. Subst.

## §. XXVI.

## §. XXVI.

SPECIES: SI PATER ALIVM, ALIVM MATER, QVASI  
PUPILLARITER SVBSTITVIT.

Mater iuxta ac pater aequo iure gaudent, liberis substituendi quasi pupillariter. Pone, patrem & matrem simul eodem iure esse vlos, & alium ab hac, alium ab illo fuisse substitutum. Hac in specie, qui rite rationes subducunt, alterum substitutum paterna, alterum materna bona solum, vtrumque autem filii bona, aequali iure capere debere, praecipiunt. SCHAVMBVRG. Comp. iur. Digest. Tit. de Vulg. & Pup. Subst. §. 6. Hac itaque in causa, si alter deficiat, alter solus omnia occupabit. Licet enim hic ius accrescendi dicere, religioni tibi duxeris, aderit tamen voluntas alterutrius parentum, cui standum, donec impedimentum aliquod ob sit, quod hac in specie fuit quidem, sed dissipatum est.

## §. XXVII.

DE ONERE COHEREDI EX PRIMIS TABVLIS, MORTVO  
IMPVBERE IN IMPVBERTATE, ACCRESCENTE.

Si quis coheres ex secundis tabulis succedat impuberi, eodem modo, quo alias distinguitur, an portio grauata accrescat non grauatae, an retro. l. 87. §. 4. 5. 6. de Vulg. & Pup. Subst. An idem dicendum vbi pupillariter substitutus vulgariter succedit, de eo non vna est Interpretum sententia. Affirmandum tamen videtur. Non obstat priori in casu regula, quod in testamento patris, & filii, vna tantum Falcidia intelligatur, haec enim de alia plane re loquitur p).

CA.

p) Tota res redit ad c. l. 87. §. 4.  
§. & l. 1. §. 13. Hic alter cen-

set CVIACIVS L. 4. Obs. 35. ali-  
ter Ant. FABER in Coniecturis  
L. 4.

## C A P V T VI.

D E

IVRE ACCRESCENDI IN FIDEICOMMISSIS  
VNIVERSALIBVS.

## §. XXVIII.

AN INTER FIDEICOMMISSARIOS IUS ACCRESCENDI  
STATVENDVM.

Circa ius accrescendi in fideicommissis vniuersalibus duplex agitari potest quaestio. Altera, an fideicommissariis profit

L. 4. Coniect. 13. alter HILLIGER ac DONELLVS L. 12.  
Cap. 23. Litt. D. CVIACIVS ita: Substitutus secundis tabulis, si vulgariter succedat, varie ponit Falcidiam rationem, prout portio onerata accrescit non oneratae, aut retro, sicut de vulgari substitutione generatim tenendum per l. i. §. 19. Hac enim in lege diserte PAVLVS: Id quod ex substitutione coheredis ad coheredem peruenit, proficit legatariis (i. e. accrescente portione non exhausta, Falcidiā ex sua parte non deducit coheres, cui accrescit). Is enim similis est heres, ex parte sub conditione instituti. Sed ea, quae ab eo legata sunt, si omiserit hereditatem, non augebuntur. (i. e. si is coheres, de quo ante dictum fuerat, quod grauatam portionem haberet, omittat suam partem,

substitutus ipsi coheres, in sua ipsius portione non grauatus, cui nunc cedit onerata portio, inde Falcidiā deducet). Sicilicet si ab eo nominatim data sint, non: Quisquis mihi heres erit. Totus hic §. loquitur de substitutione, & de eadem §. sequ. audiendus. Obstat quidem videtur l. 87. §. 4. ad L. Fale. vbi: si filius ante, quam patri heres existoret, deceperit, confundi duo semisses dicuntur, ut circa legem Falcidiā totius affis ratio habeatur, & legata integra praefentur. Verum hic locus intelligendus de specie, vbi testator legata a filio reliqua, expressa generali repetitione, a substituto denuo iusserat. Hoc enim opinatu necesse est, quia alias legata a substituto nulla plane debita fuissent, cum iVLIANI 10ti tempore, cuius haec sunt

I

\* \* \* \* \*

profit id, quod fiduciario, in casu deficientis heredis, accretuit, & huic quaestioni supra, quantum opus, vacauimus,  
vnde

sunt verba, legata ab instituto relieta, a substituto tacite nondum censerentur repetita. *Ant.* FABER multo alter: Verum est substitutum, vulgariter succedentem, vbi non onerata portio grauatae accedit, ex posteriori non deducere Falcidiam; ast candem detrahi, vbi grauata portio non exhaustae adiicitur, hoc falsissimum. Contrarium enim huius communis erroris patet ex l. 87. §. 4. quam intelligere de generali repetitione primo nulla necessitas cogit, quam etiam ante Rescriptum D. SEVERI peruvulgata fuerit de tacita legatorum repetitione doctrina. Deinde vero nihil prodest, quia expressae repetitionis non potest esse alia vis, que tacitae. Finis autem l. §. 13. non explicandus de substitutione, sed de iure accrescendi, vnde hic locus non obstat. HILLIGER denique cum DONELLO hoc modo: In substitutione vulgari distinguunt, an deficiens repudiauerit, an alio modo defecerit, v.g. quod ante testatorem mortuus sit. Ibi de portione onerata accrescente deducitur; hic fecis, sed sufficit vnam quartam totius affis, nunc in unum

congesti, remanere. De illo casu loquitur l. 1. §. 13., de hoc l. 87. §. 4. Sed mihi CVIACII sententia optima videtur. Minus sobria est FABRI explicatio, quae vim insert l. 1. §. 13. nec sat is probata ab ipso quae circa l. 87. §. 4. CVIACIO opponit. Falsum taciti & expressi candem semper esse efficaciam. Per expremam enim repetitionem, substitutio traducitur ad rationes institutionis primae, immediatas & directas, quod per tacitam non fit. HILLIGERI & DONELLI distinctio nulla solida ratione enista. Sed quod ad regulam, de una Falcidia in testamento patris & filii deducenda, attinet, inferuet hic optimè exemplum, quod habet HILLIGERVS cit. loc. ad §. 7. l. 87. cit.: Qui in bonis habet 800., filium impuberem ex une, Seium extraneum ex altero semisse scribit heredes. Filio Seium eundem in secundum casum substituit. Primis tabulis a filio legit 200., a Seio 200. Secundis tabulis a Seio itidem relinquit 200. Vterque hereditatem cernit. Impubes moritur. Quaeritur cum hic triplicia legata reperiantur, an omnia in unum commiscenda, & cum

vnde possumus hoc loco eadem supersedere. Altera, tangit fideicommissarios inter se, an hi, si heredi restituenda pluribus iniuncta est hereditas a testatore, vno alteroue eorum deficiente, accretionem habeant. Hanc posteriorem nondum attigimus, vnde nostram adhuc exspectat industriam. Plurima interpretum cohors accretionem indulget. Ad hoc referendus PAPILLONIUS l. c. p. 775. ECKOLD §. 14. ZOESIVS Comm. ad ff. Tit. de Legat. & Fideic. n. 46. A communi hac traditione rationes suas sciungit ANT. FABER Dec. 50. Err. i. contenditque armis & viris, nihil ista sententia a iure esse alienius. Eadem sentit PEREZ Prael. ad Cod. Tit. de Cad toll. n. 9. Nec possum diffiteri, mihi probatam fuisse FABRI sententiam, antequam FABRVM legerem. Firmamentum communi doctrinae petitur ex l. 43.

l. 2

l. 16.

cum contributa efficiant 600, nec dodrantem excedant, an legata integra praefanda, vt sufficiat Seio, quum quadrans totius assis, nimimum 200 ipsi superfit. An vero separanda ea, quae a Seio uti instituto legata sunt, confundenda autem tantum, quae ab ipso seu substituto relicta, cum iis, quae pupillus praestare iussus. Ut ita Seius 200 habeat integra, iure sua institutionis, & in altero semifisse ex substitutione accrescente, qui totus exhaustus reperitur, inducta Falcidia detrahatur illius quadrantem, nimimum 100, vt in uniuersum. Seius retineat 300. Posterius hoc deciditur (scil. in c. §. 7.). Statuitur diversa ratio eius, qui duas pluresue partes he-

reditatis ex institutione habet, vnam pure, aliam sub conditione, ac eius, qui vnam ex institutione, alteram ex pupillari substitutione nanciscitur. Hic vides plus simplici Falcidia deduci, nam alias non 300, sed 200 fuissent deducata. Eoque sensu cessat regula superior. Iterum autem substitutus non deducit separatim 100, quae fuisset, quarta impuberis defuncti, & alia 100, quae sunt quarta ipsius substituti, vt cum 200 ex institutione sibi remanentibus habeat 400, sed vnam tantum Falcidiam detrahit, tam impuberis, quam substitutionis nomine, scil. 100, quae cum 200 ex institutione faciunt 300.

\* \* \* \* \*

*l. 16. §. 4. ad SCrum Trebell. l. n4. §. n. ff de Leg I. &  
l. vn. §. pen. C. de Cad. toll.: De l. 43. supra iam actum,  
eaque ad nostram quaestionem plane absque momento est.  
l. 16 §. 4. quodammodo meretur excuti: Sic autem illa:  
Si quis heres institutus, rogatus fuerit hereditatem, non to-  
tam, sed partem restituere, vel si duobus restituere sit roga-  
tus, & alter ex his velit sibi hereditatem restitui, alter re-  
cuset: Senatus censuit, utroque exonerari eum, qui suspe-  
ctum hereditatem dicit, tamque, hereditatem transire ad  
eum, qui adire coegit. Sed quis non videt, hanc legem non  
de accretione inter fideicommissarios generatim edicere, sed  
tantum ea, quae locum habet, quum fiduciarius ad adeun-  
dum compulsius est. In vulgus notum est, eum, qui coacte  
adieit, quia fideicommissum euertere voluit, omni lucro he-  
reditario, in solatium eorum, quibus fraude sua fideicom-  
missi spem praescindere voluit, penitus auelli. Vnde id ne-  
cessario deriuatur, nec posse ad eum redire, quidquid ab  
vno fideicommissariorum vacuum relinquitur, sed id ad al-  
terum transmigrare oportere. In l. n4. §. n. de Leg. I., si  
quod inde argumentum depromi potest, fideicommissarii no-  
mine collectio vocati sunt, quo in casu omnes vnius per-  
sonae loco habentur, quod notum est. Ergo hic iterum nul-  
la regula generalis. L. vn. §. 14. C. de Cad. toll. his conce-  
pta verbis: *Haec autem omnia locum habere censemus, tam  
in testamentis, sive in scriptis, sive sine scriptis habitis, quam  
in codicillis, & OMNI VLTIMO ELOGIO, vel si  
quid ab intestato fuerit derelictum, nec non in mortis causa  
donationibus.* In his verbis inuenisse tibi videntur plurimi,  
quod formidinem incutiat. Sed nil hic esse, quod proposito  
dupli argumento probo. Primum §. cit. non refertur  
ad rotam constitutionem IMPERATORIS, sed tantum ad  
§. praeced. 13. vbi si nemo adsit, qui capere possit aut velit  
ex testamento, aut ab intestato, hereditatem, ultimo demum  
loco*

loco ad fiscum eandem deferendam statuit. Id enim ex ratione adiecta patet: *Tantum enim nobis supereft clementiae, quod scientes etiam fiscum nostrum ultimum ad caducorum vindicationem, tamen nec illi pepercimus, nec Augustum privilegium exercemus.* Ergo totus §. 14. nil cauet aliud, quam vt in omnibus ultimis elogis, iis in casibus, vbi olim vacanta statim fiscus deglutiebat, nulla accretionis, heredum institutorum, ad quos reuerti potuissent vacanta, aut heredum ab intestato, habita ratione, nunc fiscus postremus fit. Ergo hic nihil de iure accrescendi ad fideicommissarios extenso. *Deinde*, si, quod de iure accrescendi in tota lege dictum ab IMPERATORE, etiam ad fideicommissarios vniuersales accommodari cupis; aut id quod de coheredibus dictum, aut quod de legatariis, applies necesse est. Iam pone prius. Ergo oportet etiam fideicommissariis iunctis inuitis accrescere. Sed hoc absque ratione diceretur. Inuitis enim accrescit, ne testamenta fiant destituta. Atqui hic non sient, sed poterit, quod vacuum est, ad fiduciarium reuerti. Pone posterius. Ergo disiunctis fideicommissariis accrescit sine onere. Sed ita heres fiet ex ase, qui tamen nec ullum legatum a defuncto iussum, praestabit. Quod paradoxon. Quid ergo in contrarium offers? inquies. Sic tene: olim in legatis damnationis & fideicommissis constat eam solam ob causam, quod heres dare aut rogaretur aut iuberetur, nec directo sermone aut legatarius aut fideicommissarius ex hereditate sibi capere praeciperetur, ius accrescendi cessisse, sed portionem alterius vacantem, non ad coniunctum transiisse, sed penes heredem, iussibus oneratum, remansisse. Iam IVSTINIANVS verborum & iuris diuersitatem omnem inter legata & fideicomissa particula-ria radicitus elicit. At vero fideicomissa vniuersalia legatis aequata esse, quis dixerit? aut vbi locorum id legitur? Quidquid ergo mutatum non est, stare quid prohibet? Re-



gula ergo: Inter fideicommissarios nulla accretio. Exceptio  
1) nisi fiduciarius ad adeundum compulsus sit, 2) nisi fidei-  
commissarii plures collectivo nomine scripti.

## C A P V T . VII.

### §. XXIX

#### DE IVRE ACCRESCENDI IN QVERELA INOFFICIOSE.

In querela inofficiose circa ius accrescendi facile omnes consentiunt. Exstat circa hoc clarissima sanctio l. 23.  
§. 2. ff. de inoff. test. Si duo sint filii exheredati, & ambo de inofficiose testamento egerunt, & unus postea constituit non agere: pars eius alteri accrescit. Idemque erit & si tempore exclusis sit. Sane cum per querelam res reducatur ad caussam intestati, qui potest aliter fieri, quam ut eadem accretio, quam supra Cap. II. inter heredes legitimos esse, docuimus, etiam in hac caussa obtineat. Conf. Ger. NOODT Comm. ad Tit. de inoff. testam. PILLONIVM p. 777. DVARENVM Cap. 13. Perill. HEIMBURG. §. 45.

## C A P V T . VIII.

### DE

#### IVRE ACCRESCENDI IN BONORVM POSSESSIONE.

### §. XXX.

#### AN BONORVM POSSESSIONIS HODIE ADHVC ALIQUA UTILITAS

Quoniam nihil quod ad usum transferri nequeat, tradere. apud animum decreuimus; antequam de accretione

tione inter bonorum possessores doceamus, prius, an ad-  
 huc iure recentiori, aliquis bonorum possessionis usus fu-  
 perficit, inuestigabitur. Constat duplicitis generis fuisse au-  
 xilium praetorium. Primo omnibus, qui iam ciuili iure  
 ad successionem vocabantur, etiam Praetor adiumento fuit,  
 hos enim vel liberorum, vel legitimorum seu agnatorum  
 nomine edicto inseruit. Et his nec hodie successionem  
 praetoriam denegari posse omnes conseruentur. Deinde  
 vero iis adfuit Praetor, qui leges ciuiles noueras experti  
 erant. Hos Praetor vel contra tabulas, vel secundum ta-  
 bulas, vel ab intestato vocabat. Ut de postremis primo  
 loco dicamus: hic duplex vocatorum ordo, aut duo, ut  
 vocantur, capita, vel edita discernenda, scilicet ordo libero-  
 rum alter, alter cognatorum seu proximorum. *Priore* ca-  
 pite comprehendebantur liberi emancipati, tempore mor-  
 tis testatoris in alienam familiam adoptionis iure non per-  
 tinentes, nec non nepotes in casu *I. 5. §. 2.* *Vnde lib. 5.* &  
*I. vlt. C. eod.* *Poſteriorē* complexus est Praetor 1) Eman-  
 cipatos, qui fatis cedente patre naturali, in adoptiuā fa-  
 milia deprehensi, postea ab hac exierant. 2) Agnatos ultra-  
 forores 3) remotores agnatos, si propriiores hereditatem  
 repudiauerant, aut alio modo heredes non siebant 4) pa-  
 trem, non patroni sed patris iure successorum 5) ma-  
 trem & liberos inter se, ut & nepotes pronepotesque,  
 neptes proneptesque inter se ex una, & auias proauias-  
 que paternas ex altera parte. 6) In cognitionis necessi-  
 tudine constitutos, sed non nisi intermedii feminis se at-  
 tingentes. 7) Fratres emancipatos successuros non eman-  
 cipatis fratribus. 8) Ex latere sibi iunctos, haud iustis ex  
 nuptiis communem generationem habentes. His omni-  
 bus in casibus, recentiori iure, iam prodita est ciuilis suc-  
 cessio; vnde hic possessiones eodem modo nunc utiles,  
 quo sunt generatim iis, quibus leges ciuiles iam pro-  
 spexere.



spexere. Attamen & hodie bonorum possesso in casu  
*I. 5. f. 2. ff. Vnde lib. & I. vlt. C. eod.* tam necessaria  
 quam utilis est. Contra tabulas possesso dabatur 1) iis,  
 quibus ab intestato, ut liberis, possesso erat, quando  
 praeteriti fuerant in testamento, aut vitiis exheredati.  
 2) Patrono contra testamentum liberti certis conditioni-  
 bus, eaque de causa 3) patri quoque manumissori contra  
 tabulas filii emancipati. 4) Certo modo filio emancipato,  
 prioribus tabulis perfectis exheredato, posterioribus imper-  
 fectis, praeterito contra tabulas posteriores. His omni-  
 bus recentiori iure nullus relinquit locus, postquam aliae  
 ortae rerum rationes, licet nonnulli postremum casum nec  
 hodie auerruncandum putent. Secundum tabulas etiam  
 hodie plerisque in casibus a Praetore proditis, necessa-  
 rior agnoscenda bonorum possesso. Sunt haec in con-  
 fesso inter Pragmaticos. Singula percensere non vocat.

### §. XXXI.

#### IVS ACCRESCENDI IN BONORVM POSSESSIONE.

Iam his praemonitis ad ipsum ius accrescendi pergi-  
 mus. Cauerit de hoc *f. 5. I. de B. P. & peculiari Tit.*  
*Cod. Quando non pet port. pet. accresc.:* Quoties pluribus  
 liberis cessante legitima successione, bonorum possesso de-  
 fertur, beneficium edicti perpetui quibusdam omnientibus,  
 his solis, qui bonorum possessionem agnoverunt, portionem  
 non potentium accrescere, in dubium non venit. In omni-  
 bus Praetor imitabatur ius ciuale. Vnde vel ab intestato  
 a nepotibus hodie in casibus supra laudatis, bonorum pos-  
 sessio petitur, vel ab heredibus institutis secundum tabulas,  
 in casibus, hodiernis rerum conditionibus non aduersis.  
*Ibi* ita accrescit, ut alias est intestata accretio. *Hic*, ut in  
 testamentariis heredibus accretionem exerceri voluerunt  
 leges

leges ciuiles. cf. DVARENVS L. 2. cap. 18. *sqq.* PEREZ.  
*Pract. ad cit. tit. Cod.*

## C A P V T . IX.

DE

### IVRE ACCRESCENDI IN SVCCESIONE PACTICIA.

#### §. XXXII.

DE IVRE ACCRESCENDI IN PACTIS SVCCESSORIIS  
 GENERATIM.

In conuentionibus exsulare ius accrescendi omnium communis vox. Si rationem desideres, in promptu est. Sic fert conuentionis indeoles, & mens eorum, qui pacti sunt. Pone te sponsonem cum duobus amicis iniisse, & si id, de cuius certitudine tecum litigant, eueniat, centum promississe. Accidit, quod non speraueras. Veniam facit tibi alter promissi, alter insolentius vrget, omnemque nunc summam solum venari se posse putat. Reuicis iure tuo, & quinquaginta acceptis, satis habere cogis. Qui centum duobus promisisti aut aliam rem, in quam diuisio cadit, id agit, vt quiuis eorum partem eius ferat, alias vni tantum promisisset. Inde vere duplex conuentio, vna, qua, primo quinquaginta, altera, qua secundo totidem promisisti. Iam primus centum postulat. Fugit enim ratio, ad id enim te adstringere, in mente tibi nunquam fuit. Promisisti quinquaginta, & ultra promissa nemo tenetur. Si leges desideras, nec hae defunt. Euolue l. 710. ff. de V. O. Si miki & Titio, in cuius potestate non sim, stipuler decem: non tota decem, sed sola quinque miki debentur: pars enim aliena deducitur. Et

K

quid

◆◆◆◆◆

quid plura? Si secus statueres, ex omni contractu prodirent correli credendi, quos tamen leges ignorant, nisi aut ex diserta conuentione, aut speciali legum priuilegio, interdum hic vel illic indueto, correalis obligatio deriuatur. An vero ideo ius accrescendi, a successione pacto constituta, excludes? Puto, id dici debere, cum & hic conuentio sub sit. Romanis fuit ista successio plane incognita *Io. Henn. BOEHMER Diff. de success. coning. ex part. dotal. cap. 1.* ergo ad rem ex Germanorum ingenio vnicce enatam, non applicabis peregrina, quae huc ut calceus gigantis ad pedem pueri. Pone, e duobus, quibus per conuentioneum tributa successio, alterum ante testatorem vivis excedere, anne alteri accretio? Neutiquam, sed admittentur alterius deficients heredes, quia iura ex pactis continuo ad heredes transmittuntur. *Io. H. BOEHMER Diff. de fundam. pact. ad fideicommiss. inclinant. §. II n. 7.* Pone alterum post mortem largitoris dimittere suam partem; an nunc accretio? Nondum, sed redibit vacans portio ad heredes legitimos defuncti. *STRYK Caut. Test. cap. 21. n. 1. §. 26.* Male hic erit non nullorum stomachis, quibus illud Romanorum omnia membra penetravit: *Ne quis pro parte testatus sit.* Sed liuent hi sua febri.

### §. XXXIII.

#### DE FIDEICOMMISSIS FAMILIAE CONDITIONALIBVS.

Ceterum non applicanda haec ad fideicommissa familiae, quae dicunt, conuentionalia; haec enim nihil aliud ferunt, quam ut successio, quae ab intestato alias locum obtinet, semper seruetur. *BOEHMER. loc. cit. STRECKER. Diff. de Fideicommiss. conuentio, cap. 2. §. n.* Non igitur magis ad sensum eorum, quos inter conuen-

tio

tio inita, explicari poterunt omnia, quam si successionis legitimae rationes in consilium vocentur. Cumque hae ius accrescendi suadeant, vt supra dictum est, idem etiam conuentis fideicommissis applicandum.

### §. XXXIV.

#### DE VNIONE PROLIVM.

Vno prolium Germanica nihil aliud est, quam paetum, vi cuius liberi diuersorum matrimoniorum considerandi, ac si ex vno eodemque matrimonio nati essent.  
v. Illustr. AYRER. *Diss. de indole unionis prolium genuina.* Hinc per eam omnia eo rerum perducuntur, vt parentibus liberisque inter se vndique ea nascantur iura, quae sunt germanis, suis, veris liberis, fratribus ab intestato. Quidquid igitur supra de accretione inter fratres germanos, liberos et parentes diximus, id obtinet hic inter vitricum aut nouercam, & priuignos, sicut & compriuignos inter se. Sui etiam redduntur priuigni, vt *aditione* non egeant, sed statim a morte vitrici, ad heredes successionem transmittant, & adeo accretione opus non sit.

### §. XXXV.

#### DE GANERBINATIUS.

Pactum Ganerbinatus mihi paetum est, de habenda communione mutuae defensionis caussa. Immediate illud ad successionem mutuam non spectabat, aliud agendo tamen ad successionem proderat, quia communio Germanis successionis mater. In hac conuentione comprehensi, vi pacti iure accrescendi fruuntur, vt vnius eorum gente extincta, reliqua gentes huius parte augentur, & in unaquaque gente successionis legitimae ratio

\* \* \* \* \*

habeatur. Per ill. SENKENBERG Primae lineae Condom.  
pro individuo seu Generbitatus.

### §. XXXVI.

#### DE CONFRATERNITATIBVS.

De confraternitatibus principum v. a NEVMANN In-  
rsp. priuat: Illust. Tom. de Heredit. & success. princi-  
pium, p. 273. Quid in his de accretione statuendum, alii  
dixerint.

### §. XXXVII.

#### VSVS IURIS ACCRESCENDI HODIERNVS.

Non dubitandum est, quod ius accrescendi, cum ius Romanum in omni fere hereditaria materia receptum sit adhuc hodie plenissimum habeat vigorem. Quod enim ac-  
cretionem attinet quae inter heredes, qui ab intestato vo-  
cantur, viget, nemo dubitat illam eodem modo, quo ve-  
teribus olim Quiritibus probata fuit, exercendam esse. Et his Romanorum principiis, hereditate etiam extraneis delata, inhaerendum esse statuo. Etsi enim STRYKIVS Caut. Test. I. 14 sq. et V. M. St. XXVIII. v. 9. pag-  
num hodie pro parte testatum, pro parte intestatum dece-  
dere posse, exemplo a bonis familiae seu stemmaticis deducto, asserat, ego tamen huius theses nego consequen-  
tiam. Lubenter quidem concedo, quod de illis testari non potuerit defunctus, inde tamen non sequitur, quod pro parte testatus pro parte intestatus decederit. Succe-  
ditur enim in haec bona non illi, qui horum ultimus possessor fuit, sed primo aquirenti, & ultimus possessor tantum per mortem suam occasionem preebet, seu causa existit, ut reliqui, a primo acquirente aequae votati, iure suo,

fuo, quod hoc viuente quasi dormiuit, vti possint. Si igitur hi illa, quae accipiunt bona, non ab ultimo acquirant possessore, sed ex prouidentia maiorum eadem in illos deuoluantur, ultimo possessor, et si de his testatus non est, pro parte testatus, pro parte intestatus decessisse dici nequit. Sic quoque hodie ius accrescendi alterum adhuc locum sibi vindicabit ex altero nimirum fonte, i. e. ex praesumta testatoris voluntate deriuatum. Quis enim negaret, nos praesumtam hodie testatorum voluntatem sequi? Ceterum generatim concedit STRYKIVS ipse *I. c.* ius accrescendi locum & apud nos habere, vti etiam ibi prouocat ad CARPOV. *Iurispr. forens. P. III. c. 2 def. 5. & 17.* de Saxonia hoc idem testantem. Memorabilem casum suppeditat HVGO GROTIUS, in *Respons. IClorum Hollan. P. 3. Vol. 2. conf. 188. n. 3. seq.* quem coronidis instar Dissertationi nostrae inferere volumus. Minor tutorem & extraneum heredes scriperat. Quid autem? Veruit constitutio CAROLI V. ne immobilia tutoribus a pupillo relinquantur, & HVGO GROTIUS non dubitauit, extraneum, remotis heredibus legitimis, plenissimum illi ius accrescendi vindicans, ex a se heredem iudicandum esse; cui & nos calculum adiunximus. cf. BERGER *Oeconom. Iur. II. 4. XII. 3.* HEINECCI *ELEM. Iur. German. L. II. T. 7. 5. 200.* WERNHER *Obseru. T. I. p. 836. 858. 918.* Iam promissi memores, ad ostendendam iuris accrescendi a substitutione reciproca diversitatem, progredi deberemus. Sed quum certae rerum rationes nobis a moris necētendis interdicant, & festinare iubent: veniam rogamus non liberatae fidei. Forsan alio tempore de vacuo hoc loco fusius.



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS AVCTORI

S. P. D.

PHILIPPVS IACOBVS HEISLER,

IVR. PROF. PVBL. ORDIN.

**M**onstri simile! muti loquantur. Clarius dicam: Quo olim fuit loquacior, quam cupidae legum scientiae iuuentuti in Alma Fridericana condescendere datur quotidie, cathedra; eo altius iam est, quod diu tenuit silentium. Obmutuit sere sapientia ad instar, totosque abire videmus annos, quibus in publicam disputationem prorumpit nemo. Dudum dolut hoc mihi, doluit & reliquis scholarum iuridicarum Praeceptoribus clarissimis, quibus honor iuuenum, quos instituunt, atque formant, curae cordique. Mersam lethaeis cupimus aquis turpem hanc in disputando inertiam, cuius te, Candidate praestantisime, merito piget. Utinam sit, qui t' ex pergefaeti exemplo longo te ordine sequantur: utinam tandem aliquando animos affluant, quos vires non deficiunt. Verum sat is querelarum est. De te quid sentiam, scire si auet, Candidate Doctissime; paucis accipe. Mirum in modum dadum mihi placuisti: placuit mortui in se suavitatis, placuit indefessa, quam in hac Musarum sede literis namasti, opera: placuit praesertim, qua mihi, vestissimum Digestorum campum terribilesque ierum criminalium meatus pergranti, indiuulsus comes iuisti, rara fides: placet nunc quoque abstrusissimi argumenti de iure a. crescendi dissertation, atque eo magis placet, quo feliciori conatu viam tibi ad quandam Iurisprudentiae regionem parasti, ad quam adiutum fere inaccessum adhuc fecerunt nix, nox, nebulae & perpetuus, qui eidem incubare vulgo creditur, December: placent denique non vulgares, qui ex publico hocce specimine abunde eluent, tui in legum studio profectus. Spem ii faciunt haud vanam, fore, vt insignibus aliquando in rem publicam meritis inclarescas. Inclareresce igitur; ita enim iubent egregiae tui ingenii dotes: utere rebus semper secundis, meique vt fecisti agnac, ita & in posterum amans esto. Vale. Dabam in Fridericana d. XIV. Martii MDCLXI.

CAN.

CANDIDATO  
PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS HVIVS AVCTORI

S. P. D.  
P R A E S E S.

**M**ulta mihi in te non placent, Candidate Doctissime. Nolo perfidere singula. Vnum tantum stomachum nimis mouet, ut impune ferre nequeas. Ciceronem amas, vt video, & adeo testimonium ipsi denunciare, tibi nulla verecundia. Pudeat, in tanta temporum luce, ita paucum sensu valuisse, vt tam obsoletis Declamatoribus familiaris sis. Quin cum Euandri matre loqueris? Alios habemus hodie oratores, e quibus si vnam legeris periodum, integra inconditi Ciceronis opera seponas & sublata manu abiures. Si alteram periodum addas, tanto cum scriptu conculatae & collisae Veneres pectus opprimunt, vt absque hellaboro, periculum sit, ne te rabies occupet. Nihil humani loquuntur hi homines, diuina sunt omnia. Olim, mihi ad has ampullas mirifice semper distendebatur venter, nunc magis adsueto, si quid eius generis legerim, alius laxatur paululum. Sed ubi Veteres adeo: per lauiores nunc dapes calidum quendam obduclum superior, frigore corrumpit, praeconem aliquem aut ad exsequias eundum, aut ad haleces emendas, inuitantem audire mihi video, oscito & obdormisco. Cape, Quaeſo, animum, tam abieciſt sentire define, Noſtrates vnicę, exempla, quae imiteris, ob oculos pone. Mitte Latinarum litterarum umbratilē elegantiam. Sufficit terſioribus Noſtratiū ingenis has Polonice ſciuiſſe. Vernaculam cole. Sed inge- niō abundare oportet. Subinde aliiquid inauditi nominis crea. Aliquam interdum syllabam aut litteram plane in exilium mitte, interdum ab odio ad gratiam redi. Nunc omnibus grandioribus litteris cernices amputa, & ad lineam ſtru singularum fastigia, nunc a capitis diminutione in integrum reſtitue, & redde miseriſ vitam. Si magnifice dicere cupis, Semicentau-

ros



ros & pulices, Titanis currum & Aesopi lucernam, astra & oceanum, oua denique & mala in vnum, si potes, locum congere, sic iter adfectabis olympos. Splendeant omnia & niteant calceorum instar, quibus oleum superfudit Stabularius. Venerare numen Midae, auribus celebris. Sed despero fere de emendandis *TVIS* moribus, vnde, vt a diuinis his, quae tempora nostra ferunt, ingenii caueas, ne cornibus petant, suadeo. Si exauferis hos scopulos, gratulor. Caeterum, Amice, nunc offici me minisse oportet, quod ad litteras has ad te dandas impulit. Scilicet versatus es hic inter nos communi omnium cum laude, & tempus, studiis academicis destinatum, tam gnauiter insuisti litteris, vt commendabile fueris reliquis ad aemulationem exemplar. Nunc posito ita tyrocinio abitum paras, sed, ne vlla in parte quid desiderari possit, vis ante publicum *TVAE* solertiae documenta statuere, meque tam praeclarorum conatum comitem eligis. Nostrarum inde partium, vt cum quudem te nostro publico testimonio, tani morum, quibus te omnibus probasti, quam diligentiae, cuius nos habuisti quotidie testes, quam denique scientiae & profectuum, in iis, quae hic imbilissa fuerunt, studiis, quorum subinde experimenta habuimus, more Maiorum dimittamus. Sed de studiis non est, quod multa memorem. Illud ipsum, quod iam edis *TVI* ingenii specimen, de scientia non perfunditoria fidem facit. Maecis hac indole, *Vir Iuuenit Ornatus!* Ago eos *TVAS* etiam in posterum feliciter & digna felici adiutate praemia exspecta. Caeterum me, cui hic amicitiam *TVAM* adixisti, etiam absens amare perge, & neminem me plus rebus *TVIS* fauere persuasum habe. Vale. Dabam Halae d. XVI. Martii, 1761.



**ULB Halle**  
002 169 525

3



*Sb.*



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

Farbkarte #13

D I S S E R T A T I O

DE

ACCRESCE  
NDI COHEREDES, INTERDVM  
NON DECRESCENDI,  
INTERDVM SECVS.

Q V A M  
S V B M O D E R A M I N E  
EXCELLENTISSIMI CONSULTISSIMI  
T I C H R I S T . W E S T P H A L

V M PARITER AC PHILOSOPHIAE DOCTORIS  
IVRIS ANTECESSORIS LONGE CELEBERRIMI,  
DIE XVIII. MARTII MDCCCLXI.

H. L. Q. C.  
T I O R I D I S Q V I S I T I O N I S V B M I T T I T

A V C T O R  
E S G E O R G . M A D E W E I S S

C O L B E R G E N S I S .

H A L A E A D S A L A M  
I T T E R I S I O . C H R I S T . H E N D E L I L

